

EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*Lba. 4. A.*
















JACOBI ANDREÆ  
CRUSII, J. C.

Et Reipubl. Mind. Syndici.  
DISQUISITIO THEOLOGICA.

DE

SUDORE JESU  
CHRISTIFILII DEI,  
ET UNICI GENERIS HU-  
MANI REDEMPTORIS SANGUI-  
NEO, EJUSDEMQUE CAUSIS.

ADJECTÆ SUNT EJUSDEM AUTO-  
RIS NOTÆ NOMICO-HISTORICÆ IN  
SACROSANCTAM DOMINICAM PASSIONEM  
à S. JOHANNE EVANGEL. CAP. XVIII.  
& XIX. DESCRIPTAM.



MINDÆ

---

TYPIS JOHANNIS PILRRI.

KÖN. PR. FR.  
UNIVERS.  
ZVHALLE



PRAEILLVSTRI, REVERENDIS-  
SIMO, AC EXCELLENTISSIMO  
DOMINO,

DN. OTTONI  
LIBEROBARO-  
NI de SCHWERIN,

SERENISSIMI AC PO-  
TENTISSIMI DOMINI ELECTO-  
RIS BRANDEBURGICI. &c. &c.

Consiliario primario ac secre-  
tiori, necnon summo Præsidenti, Do-  
minicæ Brandenburgensis Præposito &c.  
Domino in Altenlandsberg, Oldevvigs-  
hagen, Drevvitz &c.

DOMINO MEO CLEMENTI  
FELICITATEM!



*Eterum monumenta evol-  
ventibus obscurum esse non  
) ( 2 pote-*

poterit, solemne quasi apud Gentiles  
 fuisse, ut Diis Deabusq; suis aedes splen-  
 didissimas, statuas ingentes, spolia opi-  
 ma, aliq; historicis tam Græcis Pausa-  
 niæ, Diogeni Laërtio aliisq;, quam Ro-  
 manis Dionysio scilicet Halicar. nassen-  
 si, Plinio, Appiano, & Alexandro ab A-  
 lexandro laudata munera offerrent ac  
 dedicarēt. Quæ consuetudo deinde: sibi  
 Cicerone, Apuleio, & Plutarcho à di-  
 vinis ad humana derivata, hinc Magna  
 tibus Virisq; de Republicâ præclare me-  
 ritis idem delatus cultus. Transit  
 postmodum mos ille ad literatos, obla-  
 tag; Illustribus & ad ornatum seculi na-  
 tis Viris eruditorum lucubrationes &  
 præclara ingenii monumenta, ut inde  
 non solum splendorem quendam fene-  
 rentur, sed etiam tanquam sub tutela-  
 ri aliquo Numine eo securius in publi-  
 cum procedant. Receptum hunc in-  
 ter eruditos morem secutus Præillu-  
 stri

stri T. Generosit. & Excell. & hunc cultum deferre, hasq; exiguas lucubrationes Theologico-historicas, in perpetua observantia testimoniū cum pio & fide-  
 li omnium prosperrimarum rerum voto inscribere, & ex veteri formulā, dare, dicare, & dedicare volui, scilicet ut quibus alioquin parvum pretium, à  
 Præillustri Tui nominis præscriptione maximum accedat. Quotus quisq;  
 enim non miratur illam Præillustr. T. Excell. incomparabilem prudentiam politicam, inconcussam in Serenissimum fidem, intaminatæ justitiæ amorem, jurium Electoralium asserendorum indefessum studium, & comitatem in summo apice dignitatum, mitto alia, quæ commemorari verè possent, necessario tamen dissimulanda sunt, ne in virtutes Præillustr. T. Excell. peccare, & ad adulationem accedere videatur ingenuitas mea. Id ta-

men cum omnibus profiteri cogor, Pra-  
 illustr. T. Excell. non modo maximum  
 Eruditorum Patronum esse, sed meri-  
 to suo ob virtutem spectatam inter re-  
 liquos Consiliarios Electorales omnes  
 eminere

Quantum lenta solent inter viburna  
 cupressi.

Equidem cum summus Praillustr. T.  
 Excell. erga studia Theologica sit amor,  
 summa quoque in eorundem cultores  
 propensio, hasce Theologico-historicas  
 lucubrationes potius, quam alia, quae  
 ad manus erant, ad illustrationem ju-  
 ris tam publici quam privati spectan-  
 tia scripta offerre volui, neque video,  
 quo jure tot extantibus praclarissi-  
 morum Ictorum scriptis Theologicis,  
 me quis temeritatis arguere aut argu-  
 mentum à professione meâ alienum heic  
 suscepisse, falcemque, quod dicitur, in a-  
 lienam immisisse messem, objicere pos-  
 sit:

sit: Equidem non nobis heic imputan-  
 da culpa, sed menti ampliori & arctif-  
 simo scientiarum vinculo, praterea  
 non esse interdictum aut à rerum na-  
 turâ, aut à lege aliquâ atq; more ut sin-  
 gulis hominibus ne amplius, quam sin-  
 gulas artes nosse liceat, præclarè tra-  
 dit eloquentiæ parens Tullius. Porro  
 ut non dixerim cum Antonio de Gue-  
 varra Catoli V. Imperatoris gloriosissi-  
 mi consiliario & historico omnem Chri-  
 stianum obligatum esse conicere in  
 chartam, quæ Salvator mundi pas-  
 sus est in cruce, aut cum doctissimo  
 Theodoro Beza. Iurisprudenti-  
 am nostram ita coherere cum Theo-  
 logiâ, ut quasi inde verbotenus  
 transcripta videatur, negari sane non  
 poterit, plurima in sacris ex antiqui-  
 tate, & historiâ Romanâ, lucem cape-  
 re. Quis enim ignorat, quantum ad  
 demonstrandam Christianæ religionis  
 ve-

veritatem, præsertim quoad gentiles,  
 adjuventi adferant externa disciplina,  
 ostenderunt id ipsum jam olim Christi-  
 tiani scriptores quamplurimi, inque  
 his præcipuè Eusebius Cesariensis,  
 quantum quoque ad res divinas pro di-  
 gnitate tractandas vel explicandas  
 cognitio historica ac bonarum litera-  
 rum studia conferant, professe dudum  
 sunt Clemens Alexandrinus, Origenes,  
 Basilius, Nazianzenus & duo illa exi-  
 mia primitivæ Ecclesiæ lumina S. Au-  
 gustinus & Hieronymus, quorum poste-  
 riorum Patrum monumenta divina  
 nunquam & tero manibus, & oculis  
 lustro, quin hæream tacitus, incertus,  
 divinorumne oraculorum scientiam  
 summam, cum incomparabili morum  
 sanctitate conjunctam; an eruditio-  
 nem literarum in illis, tam variam,  
 tam infinitam, ac inusitatam demirer  
 magis? Sane quamvis Religio inni-




*xa opibus propriis, externis presidii  
 nihil indigeat, sic delectata semper est  
 tamen comitatu Musarum ac mini-  
 sterio, ut destituta his satellitibus ho-  
 norem ac decus perdidisse Domina  
 verum videatur, quod ipsum, ut de  
 Theologis nihil dixerim nostro seculo  
 clarissimi Viri & Icti, quos inter in-  
 comparabilis Hugo Grotius, Iacobus Go-  
 thofredus, Emundus Merillius aliq<sup>2</sup>, in  
 scriptis suis passim probatum dederunt,  
 quinimo vel Nota nostra ad domini-  
 cam passionem disquisitioni de sudore  
 JESU CHRISTI sanguineo ejusq<sup>2</sup> causis  
 subjecte, quantum adjuventi adferat  
 cognitio antiquitatis, historia Romana,  
 & ipsarum legum nostrarum tum ad  
 verum intellectum dominicae passionis  
 tum ad ejusdem illustrationem, & re-  
 movendas occurrentes difficultates te-  
 stari poterunt. Hasce verò lucubra-  
 tiones ut T. Praillustr. Excell. sereno  
 vul-*

vultu admittat, ut equi boniq; consu-  
lat, ut si licuerit per otium, quod sane in  
summâ istâ dignitatis eminentiâ ra-  
rum, haut gravatim inspiciat, ac de-  
niq; mihi, qui cum devotione & obser-  
vantia erga T. Præillustr. Excell. cedam  
nemini, meisq; studiis favere velit, si  
pluribus rogem; illam etiam profecto  
humanitatem vel exteris notam igno-  
rare, aut mihi antehac coram comper-  
ta oblitus videri possim. Deum vene-  
ror, ut Præillustr. T. Excell. bono publi-  
co cum totâ familiâ præillustri ac ge-  
nerosissimâ in incorrupta sanitatis  
omnisq; prosperitatis statu florentissi-  
mo, quâ diutissimè conservet, Da-  
bam Minda Anno mundi redempti  
clō Ioc LXXII. d. 23. Ianuarij.

Præillustr. T. Excell.

devotus & observantissimus Cultor.

Jacobus Andreas Crusius D.



CAPUT I.

De Sudore JESU Christi  
Filii DEI sanguineo, ejusq; anxie-  
tate & pavore in horto Gethse-  
mane ineffabili.

Summaria.

1. **P**orta Hierusalem altâ pace præ-  
cipue diebus festis non occlusa  
fuerit. 2. An Moloch olim liberi  
immolati, an tantummodo per i-  
gnem traducti? 3. In horto Gethse-  
mane & ibidem ædificato templo  
vestigia genuum Salvatoris lapi-  
dibus impressorum Bedæ tempore  
visa. 4. Rejēta hâc de re Cardi-  
nalis Baronii sententia. 5. Christus  
quoties maximâ intentione ad Pa-  
trem preces fundere voluit, sece-  
dere à discipulis solitus fuit. 6. Soli-

A

tu-

tudinis quoad preces encomia, & qua precū loca Christianis in primitivā ecclesia? 7. Cur Christus in horto passionem suam inchoare voluerit? 8. Anxietas Christi in horto Gethsemane describitur. 9. Christiani primitivæ ecclesiæ exemplo Christi non nisi genibus flexis orabant, existimantes hanc devotione se Deum magis propitium sibi reddere. 10. Confortatio Angeli in horto Gethsemane ad augendos an vero leniendos dolores Christi facta? 11. Adducuntur de sudore sanguineo Christi lectu digna ex Drexelio & Ludvico de Ponte. 12. Christus passus fuit concurrente utrâq; naturâ ad munus mediatorium.



Vangelistarum Collegium uno quasi ore testatur Salvatorem sumptâ

ptâ cum discipulis Paschali cœnâ ex do-  
 mo, in quâ comederat Pascha, non è  
 villâ Gethsemane, ut Rupertus Tuitien-  
 sis existimavit, nocte, quâ observante  
 incomparabili *Hugone Grotio ad c. 18.*  
*Johann.* portæ urbis Hierusalem altâ <sup>I.</sup>  
 utpote pace, præcipue diebus festis non  
 occlusæ fuere, cum tantæ multitudini  
 populi locus ad quietem intra urbem  
 non esset, egressum fuisse per vallem  
 Josaphat vel Hinnon (in quâ supersti-  
 tiosi liberos suos, ut volunt *Moses Ge-  
 rundensis* & *Isaacus Abravanel adductâ*  
*authoritate Jerem. 7. v. 31.* olim immo-  
 larunt Moloch, quem non Mercurium,  
 ut *Arias Montanus in Commentar. ad*  
*Judic. 11.* & *Amos 1.* aut Priapum, ut  
*Antonius Fonseca & Oleastrius ad Le-  
 vit. 20.* neque solem, ut *Dionys. Voss.*  
*loco modo adducendo,* sed Saturnum fuis-  
 se rectè asseruit *Joann Seldenus Syntag.*  
*1. de Diis Syrorum c. 6.* aut per ignem 2.  
 tantummodo traduxerunt; quæ sen-  
 tentia est *Aben-Ezra. Vid. H. Grot. in*  
*prio & erudito opere de Satisfactione Chri-*

- sti cap. 10. & Dionys. Vossium ad R. Mos. Maimonid de Idololatr. c. 6. §. 5. p. m. 79.* qui utrumque morem & illum cremandi & alterum per ignem traducendi obtinuisse putat ) ad hortum Gethsemane situm ad radices montis Olivarum, quem torrens Cedron ab urbe sanctâ dividebat, teste *Josepho l. 6. de bell. Judaic. c. 3. p. 407.* ad hunc sæpius
3. Redemptorem nostrum, qui ut actiones suas multitudini hominumque frequentia, ita preces quieti locisque ab hominum commercio semotis ferè tribuebat, precum causâ se contulisse constat, unde de ipso Gethsemani horto scribunt *Sigonius l. 8. Rer. Ital. & Polydor. Virgil. de Invent. lib. 7.* quod in templo ibidem ædificato vestigia genuum Salvatoris lapidibus impressorû Bedæ tempore adhuc visa & demonstrata fuerint, prout ex Beda retulit *Baronius in Annal. Eccles. de Anno 34. n. 64.* cui contradicens *Casaubonus ad Baronium* putat ex assiduâ attritione peregrinorum, qui ad precandum magno studio

studio illic convenerunt, & genua fle-  
xerunt, excavationem factam. Equi-  
dem Christum, quotiescunque maxi-  
mâ intentione orare Patrem voluerit,  
solitum esse secedere à discipulis obser-  
vat *Casaubonus ad Annales Ecclesiasti-* 5.  
*cos Baronii Exercit. 62.* Quo ipso quid  
aliud Redemptor velût lata lege statue-  
re voluit, quàm nobis quoque nonni-  
hil quiescendum esse, ut animo minimè  
turbido cùm Deo versetur, mentem-  
que à rebus vagis & incertis paullum  
reducamus, hinc Veteres, cum gravio-  
ribus occupati essent studiis, ἐπιμύια  
eligebant, quam *ἡρεσὶν πειράματα*  
*Amphidis apud Stobæum serm. 54.* indi-  
gitat, hinc à primitivæ Ecclesiæ Pa- 6.  
tribus solitudinem elogiis efferri inve-  
nies invidendis, & sane prioribus ferè  
tribus seculis, aureo illo ævo, quo san-  
guis Christi adhuc calebat in ecclesiâ,  
precum loca in ædibus privatis. Vid.  
*Actorum 1. vers. 13. Actorum 12.*  
*vers. 12. Act. 10. v. 2.* in cryptis, in cel-  
lulis,

lulis, in cavernis montium, in hortis, sylvis, ac specubus subterraneis, quocunque eos fors improba, ac furor Purpuratorum compulerat, fuisse, ex Origene, Polydoro Virgilio, Mantuano, Platina, aliisque tam est notum quam quod notissimum. Temporis successu hæc orandi loca, quæ olim exigente necessitate precibus fuerunt dicata, sponte à plurimis frequentata sunt, ita commendat orandi studium in eremo per annos LX. exercitum de Paulo Thebano primo omnium Eremitarum *S. Hieronymus in ejus vitâ.* Secutus hunc est S. Antonius, qui vitam eremiticam ad *ακμὴν* perduxit, & in solitudinibus Ægypti degens semper ferè totas noctes precibus invigilabat, & usque dum lucefceret, precari non desistebat, auctore *Sozom. lib. 1. historiae Eccl. c. 13.* qui hanc rationem precandi veterum Monachorum describens. Extra muros urbium, ait, in agris solitariis & in hortis ætatem degunt. Breviter & nervosè S. Ambrosius: Non locus orationem commendat sed devotus animus.

Vid.



Vid. *Joach. Hildebrandum in libello de precib. Veter. Christianor. passim.* Cæterum ad pavorem & passionem Christi in horto Gethsemane ineffabilem ut redeamus, singulari Dei consilio & decreto factum, ut quemadmodum ab Adami lapsu in horto Paradisi peccata initium duxere abominandum, ita in 7. horto passionem suam, inchoaret, & pro iis satisfaceret Christus servator. Dignum enim erat, ubi ceciderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia ut inquit *Theoph. in c. 18. Job.* vel ut loquitur *Augustinus serm. 71. de tempore*, conveniens erat, ut ibi funderetur sanguis Medici, ubi primum cæperat morbus agroti.

SS. Evangelistæ *Matth. cap. 26. v. 37.* & *Marius cap. 14. v. 33.* Redemptorem nostrum tantos scribunt sensisse cruciatus, ut animâ turbatâ 8. cæperit ἐκθαμβείσθαι, λυπέισθαι, ἀδημονεῖν. Scilicet Evangelistæ dolorum Christi umbratilem quandam speciem verbis cum vellent assequi, ostenderunt

derunt potius quid vellent, quam quid possint, quid enim tristius & flebilius commemorari poterit, quam anxietas & agonia filii Dei in horto, cujus memoria, ait *Bernhardus in die parascev.* meritò requirit lachrimas, ad quas nos provocat sancta mater Ecclesia, nigris hodie induta stolis, ad singultus nos excitant Salvatoris preces ardentes ad Deum Patrem, ut si fieri fas, transcat calix ille amarissimus de sese; Veruntamen non ut sua, sed ut voluntas Patris fiat; cum primis verò sudor ille sanguineus, quem peccata mundi totius expresserunt non tam homines, quam creaturas omnes ad amarè deflendum hunc agonem haud dubiè invitabit. Sane ineffabilis illa anxietas, agonia, & summi dolores Filii Dei non tam ex gestibus illis externis colliguntur, quam ex ternâ illâ repetitâ oratione agonizantis Salvatoris & in faciem suam prostrati, cujus exemplo primitivæ Ecclesiæ Christiani non nisi genibus flexis, excepto tamen quinquaginta die-

rum,

rum, qui à festo Paschatos ad Pentecosten intercedunt, spatio, quo nec genua in orando flecti, nec jejunia agitari solebant, precibus fundendis operam dabant, existimantes hâc devotione, se Deum magis propitium sibi reddere. Cujus observationis ut ab Apostolis per manus traditæ *Auctor lib. Respons. ad Orthodoxos cap. 109.* meminit his verbis. *Εἰ τὸ κλίνειν τὸ γόνυ ἐν ταῖς προσευχαῖς ἢ τῆς ἐστῶτας εὐχεσθαι, μάλλον θεῷ τῆς εὐχόμενης παρίστησι, καὶ πλεῖον ἐφέλκεται τὴν θείαν συμπάθειαν, διὰ τὸ ἐν ταῖς κυριακαῖς ἡμέραις καὶ ἀπὸ τῆς πάσχα ἕως τῆς πεντηκοστῆς γόνυ ἔκλινον οἱ οὐχόμενοι.* Id est: Si genu flexo orantes, Deum sibi potius conciliant magisque propitium reddunt, quàm qui stantes precantur; quid causæ est, quod dominicis diebus, & per eos dies, qui inter Pascha & Pentecosten interpositi sunt, genua in orationibus minimè flectuntur? Sane quod Christiani in ejusmodi dominicis

nicis diebus stantes oraverint , quem morem ab Apostolicis temporibus initium duxisse testatur *Irenæus Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus in orat. de Pasch.* symbolum esse resurrectionis , per quam Dei gratiâ à peccatis & in ipsis contrita peremptaque morte liberati sumus, tradit prælaudatus Auctor lib. Respons. ad Orthodoxos.

10. Porro summam Christi anxietatem, ejusque ineffabiles angustias, præter orationem ardentissimam satis quoque arguit confortatio Angeli, quâ non ad augendos, prout post Bedam putant *Salmeron & Franc. Quaresmius Laudens. t. 3. de vuln. Christi c. 3. sect. 9. conf. Cornelium à Lapide in cap. 22. Luc.* qui putat Angelum confortasse Christum non corroborando ejus infirmitatem, sed eximiam ejus fortitudinem collaudando, quæ sententia jam ante placuit Epiphanio, sed leniendos intensissimos dolores animi JESU Christi Angelus usus fuit, quomodo post Hieronymum, Cyrillum, Damascenum,

num, aliosque rectè statuunt Scholastici Dd. & plerique Theologi. Alii existimarunt Angelum non verbis ad hanc rem usum fuisse, sed quâdam assistentiâ solum & societate consolandi explevisse partes, ut & ponderatione eorum, quibus Christi premebatur anima, necnon habitu gestuque simili assumpto, ita ut Christo flectente genua, flecteret & ipse &c. *ita Pineda in Comment. ad Job. 2. v. 23. Conf. Martin. Geier. de Ebraorum luctu c. 13. §. 3. p. 274.* Equidem dum hæc perpendo & meditor, dum lego & revolveo, Redemptorem meum Jesum Christum, qui portat omnia verbo virtutis suæ, per quem facta sunt omnia, per quem universa subsistunt, etiam & Angeli ipsi, ab Angelo confortatum fuisse, & Creatorem à creaturâ suâ, Dominum à servo, Magistrum à discipulo solatium accepisse, horreo prorsus & obstupesco cum devotissimo Bernhardo. Cæterum Salvatoris ineffabilem tristitiam & angorem satis indicat sanguis

neus sudor, isque fatis copiosus. Nec enim S. Evangelista mentionem facit guttarum sanguinis stillantium, sed decurrentium. Tanto enim impetu sudor ille sanguineus ferebatur in terram, ut non modo vestimentum JESU imbueret, sed etiam humum madefaceret, inquit *Jacobus Gaudensis Frater Ordinis Predicatorum adh. text. Dominice passionis.* In terram verò decurrere sanguinem suum voluit Filius Dei, juxta Cardinalem Ecclesiæ Romanæ Hugonem de S. Charo, ut sic ostenderet, quod pro terrâ, idest pro ecclesiâ & orabat & patiebatur, ut ipsam suo sanguine irrigatam fecundaret. Hæc considerans meritò cum *Drexelio in Prodromo Aeternitatis cap. 2. §. 26. exclamo.* O Christe! Nondum hîc ullus est Romanus carnifex; nondum hamata te flagella lacerant, nondum aculeati sentes divinum verticem perforant, nondum prægrandes clavi manus pedesque configunt, & tamen jam nunc tam uberes cruoris fonticuli fluent.

unt. Quid cras fiet, cum totum corpus unus erit livor, vulnus unum? Nimirum hodie rivuli currunt cras dabis cruoris maria. Non minùs eleganter

*Ludovicus de Ponte part. 4. meditat. 23.*

Christum ait noluisse carnificum verbera, spinas, & clavos exspectare, ut sanguinem illi extraherent; sed priùs voluisse imaginatione & sancto suo zelo, tanquam spontaneis à se adhibitis carnificibus, & flagris, & clavis, adeò ad vivum cruciatus omnes, quos in omnibus corporis sui partibus erat postea perpeffurus, apprehendere, ut sanguinem pro sudore effunderet per caput, faciem, dorsum, pectus, & reliquas partes, ita ut illâ horâ spiritualiter & agmine quasi simul factò passus fuerit, quicquid postea succedaneis horis erat perpeffurus. Equidem ex hâc tristitia, & anxietate ineffabili, nec non sudore sanguineo non obscure colligere licebit Christum in passione suâ, quam in horto Gethsemane exordiri voluit exquisitissimos dolores, & hor-

rores

rōres infernales sensisse, quomodo plu-  
 rimi ex primitivæ ecclesiæ patribus, &  
 inter illos Augustinus, consentienti-  
 bus recentioribus Theologis statue-  
 runt, & verò concurrente heic juxta  
 pervulgatum Leonis Magni Epist. 10.  
 ad Fla. ἀξίωμα utrâque formâ, divinâ  
 12. & humanâ naturâ, cùm communica-  
 tione alteriùs quod proprium est, carne  
 scilicet, humanâ naturâ exequente  
 quod carnis est, nempe patiendò, at-  
 que adeo physicè concurrente, & ver-  
 bo, divinâ naturâ operante quod verbi  
 est, nempe infinitum valorem concili-  
 liando. Vid. præclarè hoc ipsum expo-  
 nentes D. Petrum Musæum in *dissert.*  
*theologicâ de officio Christi mediatorio*, &  
 eximium Academiæ Rintheliensis de-  
 cus Georgium Wolterum Molanum  
 Theologum & Philologum insignem  
 in *eruditâ dissertat. solenn. de communi-*  
*cat. & prædicat. idiomatum th. 7.* ubi  
 contra quosdam Romano-Catholicos  
 Dd. præclare evincit, utramque natu-  
 ram in Christo ad munus mediato-  
 rium



rium concurriffe, cum passio humanæ naturæ non absolvere potuerit munus mediatorium, nisi divina natura infinitum valorem contribuisset.

CAPUT II.

In quo evincitur, textum de Sudore Christi sanguineo pro Canonico habendum, & male ab aliis erasum, & in nonnullis Græcorum & Latinorum Codicibus omissum fuisse.

Summaria.

1. *S. Lucas an unus à septuaginta discipulis Redemptoris fuerit?*
2. *Textus de sudore Christi sanguineo à Pelagianis erasus, in quibusdam verò Græcorum & Latinorum Codicibus omissus.*
3. *Quas ob rationes hoc ipsum factum?*
4. *Historia Sudoris Christi sanguinei in sanctum canonem recepta.*
5. *Probatum id ipsum ex consensu patrum primi-*

*primitiva Ecclesia. 6. Necnon recentiorum Theologorum. 7. Extat historia de Sudore Christi sanguineo in Codicibus Græcis vetustissimis nec non in versionibus N. T. antiquissimis. 8. Probatur contra Arianos, malè eosdem historiam de sudore Christi sanguineo ad detrahendam ejusdem divinitatem adduxisse. 9. Sudor sanguineus Christi ad Marcionis aliorumq; hereticorum deliria refutanda facit. 10. Expositus locus Pauli 1. ad Timoth. 3. v. 15. & 16.*



**S**udorem sanguineum Christi, de quo heic & in sequentibus acturi sumus, unicuique annotasse S. Lucam (quem unum 1. è septuaginta duobus discipulis Redemptoris fuisse putant Epiphanius heres. 51. & Theophylactus in Evangel. Luc. 6. 24. eumque ætate gravem obisse,

ille, & ossa ex Achaja Constantinopoli  
 delata fuisse anno vicesimo Con-  
 stantii tradit *Hieronymus*, quamvis  
 Græci Lucam martyrem faciant ex oleâ  
 suspensum, quod aridi ligni, unde crux  
 pararetur copia non esset. *Nicephor.*  
*lib. 2. c. 43. & Cedren. in Annal.* cui-  
 libet notissimum est. ἐγέβετο, inquit  
 S. Lucas cap. 22. v. 44. Evangelii sui  
 ὁ ἰδρῶς αὐτοῦ ὡσεὶ ῥόμβοι ἀιμαῖο  
 καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν. Quæ  
 verba Evangelistæ ut ut clara & per-  
 spicua sint, reperti tamen plurimifue-  
 re, qui sudorem Christi sanguineum  
 tam expressis verbis posteritati ab Evan-  
 gelistâ relictum in dubium vocarunt,  
 quin imò hunc versiculum à temerariis  
 quorundam unguibus quondam era-  
 sum fuisse observarunt, eruditi, & in-  
 ter illos doctissimus Erasmus. Sane in  
 nonnullis Græcorum & Latinorum  
 Codicibus omissum esse illud de guttis  
 sanguineis Redemptoris nostri, testan-  
 tur eximia illa primitivæ Ecclesiæ lu-  
 mina S. Hilarius & S. Hieronymus. Il-  
 le lib.

le *lib. 10. de Trinitate* ibi. Nec fanè ignorandum à nobis est, & in Græcis & in Latinis Codicibus compluribus, vel de adveniente Angelo vel de sudore sanguinis nihil scriptum reperiri &c. Hic *lib. 11. ad versus Pelagianos*, ubi itidem observat in quibusdam Bibliorum exemplaribus præmissa S. Lucæ verba desiderata fuisse. Clarissimus & eminentissimæ eruditionis Vir Thomas

3. Bartholinus *in libro de Cruce hypomn. 4.* putat hunc de Sudore Christi sanguineo agentem locum S. Lucæ, utpote vero Christi corpori faventem à Pelagianis erasum fuisse. Sixtus Senensis *lib. 1. Bibliothec. sanct. c. 22.* existimat multos Orthodoxos historiam hanc de Sudore Christi sanguineo eam ob causam prorsus sustulisse, quia scilicet Arianis hoc loco abusi ad detrahendam Christi divinitatem, & alioquin ipsis videbatur fieri non posse, ut in humanam Christi naturam, quæ divinæ personaliter unita, tam ingens consternatio caderet, eadem tradit ex recentioribus

ribus celeberrimus Theologus D. Georgius Calixtus *lib. 6. Concordiæ cap. 3.*

Cæterùm historiam de Sudore Christi sanguineo ad detrahendam ejusdem divinitatem malè allegasse Arianos, & 4. præterea eandem in sanctum Canonem receptam esse, rectè observat Theologorum schola, quamvis enim S. Hilarius loco supra laudato rem in medio relinquere videatur, S. Athanasius tamen *lib. 6. de Beatitudine Filii Dei* non tantum contrarium asseruit, sed etiam tam patres primitivæ Ecclesiæ, quàm Theologi recentiores testantur hanc de Sudore Christi sanguineo historiam semper in Ecclesiâ pro canonicâ habitam fuisse. Ex seculi primi scriptoribus ecclesiasticis, primo omnium adduci meretur Dionysius Areopagita, 5. qui *in libro de celesti Hierarchia cap. 4.* mentionem facit *περὶ τοῦ Ἀγγέλου τὸν Ἰησοῦν ἐνισχύσαντος*, de angelo ipsum confortante, unde patet ipsius temporibus particulam illam de Angelicâ confortatione & sudore sanguineo  
in

in Ecclesiâ lectam & receptam fuisse. Vid Sixt. Senensem loco supra laudato hoc S. Dionysii Areopagitæ testimonium itidem adducentem. Seculo secundo Justinus Martyr *in suo cum Tryphone Judeo dialogo* sudoris Christi sanguinei expressam facit mentionem, neque prætereundus heic ejusdem seculi secundi scriptor Irenæus, quem inter alia veræ incarnationis & assumptæ humanæ naturæ veritatis argumenta, sudorem Christi sanguineum adduxisse constat. Præter Irenæum & Tatianus Alexandrinus hanc de sudore Christi sanguineo particulam in Ecclesiâ pro canonicâ habitam fuisse testatur. Inter tertii seculi scriptores idem attestantes produco tum Ammonium Alexandrinum, qui *in Harmoniâ Evangelicâ, quæ tom. 7. Bibliothecæ S. Patrum* extat. Laborabat, inquit, angore tanto Dominus, ut sudore ejus sanguinolento tellus etiam maderet, cum Cœcilium Cyprianum Carthaginensem Episcopum *in libro de cardinalibus Christi*

*Christi operibus.* Quarto seculo Athanasius Alexandrinus Episcopus supra laudato loco idem de sudore Christi sanguineo testatur, præprimis verò ejusdem seculi scriptor Epiphanius in *Panario suo sive opere contra 80. hereses l. 2. t. 2. heres. 69.* qui observat Arrianos ex prælaudato Lucæ loco de sudore Christi sanguineo, impugnasse veritatem divinæ naturæ Christi. Epiphanio jungendus disertissimus Ecclesiæ pater S. Hieronymus, cujus locum jam antea adduximus, adde S. Johannem Chrysostrum *homil. 83. in Mattheum tom. 2. oper.* Inter quinti seculi patres. Quantum lenta solent inter viburna cupressi, eminent S. Augustinus hanc de sudore Christi sanguineo historiam pro canonicâ agnoscens *tum lib. 3. de consensu Evangelistarum, tum in enarratione Psalm. 93.* Atqui tantum de consensu primitivæ Ecclesiæ, quinque priorum seculorum. Quod sequentes scriptores ecclesiasticos posteriorum seculorum attinet, idem testan-

stantur Anastasius Patriarcha Antio-  
 6. chenus scriptor sexti seculi, ac venera-  
 bilis Beda, omitto recentiores, utpote  
 Rabanum Maurum Abbatem Fulden-  
 sem, ejusque discipulum Strabum Ful-  
 densem Monachum scriptores noni se-  
 culi. Conf. insignis eruditionis virum  
 Photium Patriarcham Constantino-  
 politanum, qui in Epistolis nuperrimè  
 Londini editis Epist. 133. de sanguineis  
 Christi grumis latissimè disquirit, nec  
 non Theophylactum Bulgarorum Epi-  
 scopum, Anselmum Cantuarensesem  
 in Angliâ Episcopum, Bernardum, Al-  
 bertum Magnum, Nicolaum de Lyra,  
 Barradium, Ludovicum de Ponte,  
 Gerardum Johannem Vossium, & ex  
 nostris Theologis præter Lutherum &  
 Melanchthonem, Gerhardum, Chem-  
 nicium, Dilherrum, Calixtum, ac infi-  
 nitos alios.

Accedit porro, quod hæc de sudore  
 7. Christi sanguineo historia non modo  
 extet in Codicibus Græcis, iisque vetu-  
 stissimis, vel Hieronymo teste, quam-  
 vis



vis varietatem quorundam Codicum circa hanc rem ipse observet, sed etiam versionibus N. T. antiquissimis, puta Syriacâ, à Tremellio pro fidelissimâ habitâ, Arabicâ, Æthiopica, cujus auctorem monachum quendam Æthiopem Aba Salama hoc est patrem pacis dictum fuisse putat Cornelius à Lapide in proëm. Quatuor Evangelist. necnon Persicâ, quam perinde ut Æthiopicam locum de sudore Christi sanguineo exhibere testatur. Idem Cornelius à Lapide in Comm. in Luc. c. 12. ubi quoque ad determinationem Concilii Tridentini provocavit.

Cæterum quod Arrianos, quorum supra hoc capite mentionem fecimus, attinet, malè illos hanc historiam de sudore Christi sanguineo ad detrahendam ejusdem divinitatem adduxisse à Theologis ad h. l. S. Lucæ passim ostensum, & verò infirmitates ejusmodi juxta effatum Leonis Pontificis à Redemptore nostro susceptæ sunt ad supplicium, ut impenderentur ad pretium.

Dedit

Dedit scilicet hoc omne amoris generis  
 humani, ut omnia cruciatuum genera  
 mortisque vices experiretur Restaura-  
 tor generis humani, & verò si Christus  
 ut homo, potuit λυπεῖσθαι, ἐνθάμ-  
 βεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, utique etiam  
 potuit sanguinem sudare, & angeli-  
 cam consolationem admittere? Sane  
 ex hoc loco veritatem incarnationis  
 Christi & assumptæ humanæ naturæ  
 satis evidenter probari rectè observa-  
 vit Irenæus, quò spectat locus Epiphani  
*in Panario hæresi* 69. ex versione Cor-  
 narii Medici. Ab incorporeis, inquit,  
 non procedit sudor, in eo verò, quod  
 hoc factum est, ostendit veram carnem,  
 & non apparentiam à carne in Deitate  
 cognita. Nam sine anima & mente  
 non fit anxietas. Quum autem in an-  
 xietate constitutus fuerit, ostendit, se  
 animam & corpus & mentem simul ge-  
 stasse, unde anxietas apparet.

Equidem sudorem Christi sangui-  
 neum egregiè ad Marcionis aliorum-  
 que hæreticorum, qui asseruerunt  
 Chri-

Christum putativè apparuisse, idest 9.  
 quasi per umbram, & ita quoque non  
 in verâ carne passum fuisse, deliria re-  
 futanda facere rectè observarunt Theo-  
 logi tam veteres quàm recentiores, quò  
 etiam spectant textus sacri Codicis à  
 summo Jcto Jacobo Gothofredo in  
*Exercitat. poster. sacrâ ad 1. ad Timoth.*  
*cap. 3. v. 15. & 16. p. m. 109* adducti, &  
 ipse modo laudatus Pauli locus *1. ad Ti-*  
*moth 3. v. 15. & 16.* ubi Christum ma-  
 nifestatū esse ait *ὅτι σαπνὴ* tacitâ *ἀντι-*  
*γέσει* ad falsorum Numinum *ἐπιφα-*  
*νείας* & apparitiones, quæ inania erant  
*φαντάσματα* testibus Themistio apud 10,  
 Stobæum *serm. 119* & Aristide *Orat.*  
*Eleusin. p. 446.* & vel ex collucentibus  
 ignibus, vel apparitionibus in somniis,  
 aliisque vanissimis signis noscebantur.

Vid *Diodor. l. 1. p. 15.* & *Helio-*  
*dorum Ethiop. l. 3. p. 152.*

& 153.

B

CAP.

## CAPUT III.

In quo disquiritur, an verba *ὡσεὶ ἱρόμβοι αἷμα* & vere & simpliciter accipienda sint, an verò nudam comparationem vel proverbialem hyperbolen cum Euthymio & Theophylacto significant, ac quomodo discipulis Christi de sanguine guttis nocturno tempore quicquam innotescere potuerit?

Summaria.

1. **E**uthymii, Theophylacti & ex recentioribus Grotii de sudore sanguineo Christi sententia adducuntur & rejiciuntur. 2. Probat<sup>ur</sup> contra Theophylactum proverbialem hyperbolen in particula *ὡσεὶ* statuentem Christum verè sudorem sanguineum emisisse. 3. Particula *ὡς* & *ὡσεὶ* veritatis & reipsius sunt nota. 4. Particula quasi secundum subjectam materiam expres-

expressiva veritatis est. 5. Disquiritur, quomodo discipulis Christi de sudore sanguineo, praesertim tempore nocturno quicquam innotescere potuerit? 6. Qua noctu facta difficilius habentur probationis. 7. Testibus de actibus nocturnis simpliciter, non adjectâ depositionis ratione deponentibus fides non habetur. 8. Exempla adducuntur eorum, qui nocte obscurâ & in tenebris qualibet videre potuerint. 9. Probatur non obstante tempore nocturno potuisse discipulis Christi sudorem ejusdem sanguineum innotescere.



Æterum circa verba S. Lucae capite præcedenti de sudore Christi sanguineo adducta, praesertim circa illa *ὡς εἰ ἰσχυροὶ ἀμαλ* & varia extant Theologorum

1. sententiæ, alii enim heic nudam comparisonem esse putarunt, quos inter Euthymius, alii cum Theophylacto statuunt proverbialem hyperbolen esse, quemadmodum qui amarè flent, proverbialiter sanguinem flere dicuntur, quæ Euthymii & Theophylacti sententia ex recentioribus placuit incomparabili Hugoni Grotio in *Annotat. ad præadducta S. Lucae verba. Hoc loco nihil est, inquit, unde certò colligas sudori huic sanguinem fuisse permixtum, Nam ut Theophylactus & Euthymius notant, non dictum est ἐγέλει ἰδρῶς αἷμα, sed ἐγέλει ὁ ἰδρῶς αὐτῶ ὡσεὶ ἵπομβοῖ αἷμα. Quæ verba indicant, verum fuisse sudorem, qui emanavit, non tenuem tamen sed crassum, quales esse solent grumi sanguinis, cum sudor vix soleat ἵπομβῶσαι. Hæc Grotius d. l. Theophylactus & qui eum sequuntur pro stabiliendâ suâ sententiâ urgent vocem ὡσεὶ. Sed infirmam hanc esse rationem vel inde probatur,*
- 2.

batur, quod aliis quoque sacri Codicis locis particulæ istæ ὡς & ὡσεὶ non comparisonem modo, sed & confirmationem significant, ac non tam similitudinis sed veritatis & rei ipsius sint notæ, prout patet ex *Dan. 7. v. 13.* & *Joh. 1. v. 14.* ibi τὴν δόξαν αὐτοῦ, 3. δόξαν ὡς μονογενῆς παρὰ πατρός, ubi nemo unquam ex interpretibus tam impudens fuit, ut hic comparativam esse locutionem statuisset. Vid. præclare hoc ipsum exponentem Josephum Scaligerum *l. 6. de emendat. temp. pag. 255.* ubi verba *Luca 3. v. 23.* ibi ὡσεὶ ἑτῶν τεῖσκαοντα & modo laudatum locum S. Joannis adducens tradit, particulâ præmissâ uti sacros scriptores, cum ita rem affirmant, ut de eâ dubitari minimè debeat, quinimo ipse Theophylactus dissentiens de particulâ ὡς eam veritatis notam esse testatur ad laudatum locum *Joh. 1. v. 14.* Sane si particula ὡσεὶ in verbis S. Lucae similitudinis aut comparisonis

causâ adjecta esset, excludendus etiam esset verus sudor grumofus, quod tamen Grotius non admittit, quinimo vocem ἱρόμβοι etiam nudè & simpliciter sine adjectione τῷ αἵματι positam grumos sanguinis interdum denotare ex vetusto Lexicographo Hesychio patet, ibi αἷμα πεπηγὸς ὡς βυνοὶ grumus, sanguis coagulatus ut tumuli. Porro particulam ὡσεὶ apud scriptores Græcos non semper comparationis sed veritatis notam esse, nemini non constat, eodem modo &

4. apud Latinos, præsertim Jctos nostros particula quasi accipitur, quæ licet interdum nota improprietas sit. l. 9. in pr. D. de Empt. ut plurimum tamen secundum subjectam materiam expressiva veritatis est. Vid. l. 21. in pr. D. de acquir. hered. l. 29. §. 15. D. de lib. & posthum. l. 23. §. 2. & ibi Gloss. D. Ex quib. caus. major. l. 6. D. de Exercitor. act. l. 33. D. de Obligat. & act. l. 17. & l. 18. D. ad SC. Velleian. l. 2. §. 8. l. 15. l. 19.





l. 19. §. 1. l. 26. l. 36. §. 1. D. de judic.  
 Conf. Alex. conf. 15. n. 7. lib 1. Rebuff.  
 adl. 101. §. 3. D. de V. S. & ex recentio-  
 ribus tradita Philipp. Richteri Profess.  
 Jenens. in tract. de significatione Adver-  
 biorum lit. q. voc. quasi p. 696. & 697.  
 unde Glossa adl. si ante nuptias D solut.  
 matrim. ad verba quasi dotis. Quasi,  
 ait, est expressivum veritatis. Vid.  
 Gloss. juris Canonici ad c. Parochianos  
 de decim. Ex quibus patet rectè cla-  
 rissimum Gerardum Johannem Vos-  
 sium in Harmoniâ Evangelicâ de pas-  
 sione morte & resurrectione Christi lib. 1.  
 c. 20. §. 13. contra Euthymium & Theo-  
 phylactum statuisse verba ista S. Lucæ  
 ὡσεὶ ἰπόμβοι αἵματι & verè & simpli-  
 citer accipienda esse, nimirum sangui-  
 nem guttatim manasse, quæ sententia  
 nostrorum Theologorum communis  
 est. Eleganter Prosper.

*Ferre parans Christus penam, mortem-  
 que propinquam  
 Invictamq; suis ingenerare fidem.*

B 4

Cum

Cum prece sanguineas fundebat corpore

*guttas*

Et precium mundi sudor erat Domini.

Nec crucis asperitas poterat terrere vo-  
lentem

Que regnatura gloria carnis erat.

Sed cruor ille pares sanctis spondebat ho-  
nores,

Orturis toto corpore martyribus.

Nam cum sacra seges terrarum imple-  
verit orbem

Omnia ab hoc uno semine messis erit.

6. Porro non diffitemur cuiquam fortean  
dubium oriri posse, quomodo disci-  
pulis Christi de eius sanguineis guttis  
potuerit innotescere quicquam, cum  
illæ tempore nocturno cecidissent, at-  
qui in iure nostro ea, quæ de nocte fa-  
cta fuerunt non modo difficilioris pro-  
bationis habentur. *Gloss. in l. 14. § 3. D.*  
*quod met. caus. Alexand. consil. 4. n. 6.*  
*lib. 6. unde in iis etiam testes inhabiles*  
*recipiuntur, per tradita Prosperi Fari-*  
*nacii de Testib. lib. 2. tit. 6. quest. 62.*  
*n. 33. sed etiam ejusmodi testibus, de*  
*acti-*

actibus nocturnis & de visu simpliciter  
deponentibus regulariter fides non ha- 7.  
betur, *Bald. in l. si non speciali C. de te-*  
*stib. Dec. consil. 363. n. 2. & consil. 429.*  
*n. 14. Mascard. de probat. lib. 2. con-*  
*clus. IIII4. n. 1. & conclus. 894 n. 7. &*  
*Conclus. 1109. n. 4.* nisi rationem de-  
positionis, quod luna forte luceret, vel  
lumen esset accensum redderent, alio-  
quin enim contra naturam deponunt.  
*Gomez. 3. Resolut. 12. rubr. de probat.*  
*Burfat. consil. 34. n. 6. Viv. in Comm.*  
*opin. vers. deponens nocte, Menoch de 8.*  
*arbit. quest. lib. 2. cas. 297. n. 35.* quam  
ob rationem testes quosdam Athenis  
falsi convictos fuisse scribit Plutarchus  
*in Alcibiade. Joseph. Mascard. d. lib. 2.*  
*de probat. Conclus. IIII4. n. 13.* vel nisi  
testes ex Medicorum relatione ejus ef-  
sent naturæ, ut nocte etiam obscurâ & in  
tenebris quælibet videre possint, qua-  
lis fuit Tiberius, de quo Svetonius *in*  
*ejus vitâ cap. 68.* refert, quod fuerit  
oculis prægrandibus & qui, quod mi-  
rum, etiâ noctu & in tenebris viderent,

sed ad breve & cum primum à somno patuissent, demum rursus hebescerent, verba sunt Svetonii. Circa quæ verba Vir infinitæ lectionis Caspar Barthius *lib. 23. Advers c. 23*, ex Opsopæi Codice, pro demum mavult legere deinde: quia demum sit signum tarditatis: cui repugnet, quod Svetonius dicat ad breve. Sed vocem demum, iudicio Gerardi Joannis Vossii *lib. 1. de Orig. Idolatriæ c. 26*. simpliciter pro postponitur, ut Festus exponit, ut sententia sit, paullo post videre desiisse. Vid. idem de Tiberio referentes Plinium *lib. 11. Nat. histor. c. 37*. & Heliodorum Larissæum *in Opticis*. Hoc ipsum cum de Tiberio retulisset Cælius Rhodiginus *lib. 15. Antiqu. lect. c. 11*. subjungit de se ipso: Id ipsum & mihi quandoque obtigit, Deo teste, non mentior. Similiter de se Hieronymus Cardanus *lib. 8. de rer. variet. c. 43*. aliud exemplum adduxit Philippus Montalto *l. 4. optica c. 8. laudatus Vossio*. Eodem modo Asclepiodotus Philosophus, teste Pho-

Photio in *Bibliothecâ*, in densis tenebris & adstantes dignoscebat, & literas legebat, quinimo de tota Albanorum gente scriptum legimus, eam glaucam oculis, idest pictam habere pupillam, adeo ut nocte plus quam die cernat. Solin. *Rer. memorabil. c. 20.* Vide Haac. Casaubon. *Adversar. in Sveton. lib. 3.* & Michael. Piccard. *Decad. 1. Observuat. histor. cap. 7. p. 47.* De Scaligeris res notissima est. Habuit scilicet uterque, & Julius Cæsar parens, & Justus Josephus filius oculos *χαρῶδης*, hoc est, quod ex porrectis de nocte, liveerit videre per horam vel amplius objecta, non luce quidem clara, sed instar crepusculi, idque ad annum duntaxat vigesimum tertium. Ita Julius Cæsar Scaliger de se ipso in *Comm. in 1. de histor. animal.* Joseph Scaliger in *vitâ patris & confutatione fabule Burdonianæ.* Vid. ea, quæ hac de re annotavi in *lucubrat. meis historico-philologico-juridicis de nocte & nocturn. offic. tam sacr. quàm prophan. cap. 14. per tot.*

Cæterum ut ad priora revertamur, ad removendum hoc dubium, reponimus cum quibusdam infra adducendis, (1) quod juxta Lucam nostrum cap. 22. v. 41. Christus tantum avulsus fuerit à discipulis, quantum jactus est lapidis, ut adeo non fuerit *πρὸ τῶν ἀδυνατῶν* ab illis Christum sanguinem sudantem conspici, præsertim cum neque continuò dormirent, sed cum somno luctarentur, (2) quod secundum quorundam observationem tum fuerit plenilunium, quo casu etiam in civilibus testes de visu & actu nocturno tempore facto deponentes probant, iisque fides habetur. *Jas. in l. si non minorem C. de transact. Dec. consil. 163. accedit,* (3) quod angelus quoque cælesti lumine splendicans, & ad confortationem Redemptoris missus omnia spectari fecit, quod si hæ rationes non satisfecerint, verosimile est (4) Evangelistam, quæ non satis affecutus fuit, vel à Christo post resurrectionem, vel ex Spiritus Sancti revelatione didicisse.

CAPUT

CAPUT IV.

In quo disquiritur an Sudor sanguineus sit possibilis?

Summaria.

1. **R** Ejicitur opinio Iohan. Baptista Sylvatici existimantis Sudorem sanguineum esse impossibilem. 2. Contrarium probatur auctoritate Aristotelis, Theophrasti, Galeni, & plurimorum Medicorum. 3. Necnon experientiâ. 4. An medicamentis & arte talis sudor educi possit? 5. Refelluntur objectiones dissentientis Sylvatici. 6. Exemplis evincitur, naturam sanguinis copiam, quâ frequentissimè opprimitur, per vias quasdam evacuari, per quas sanguinem effundere nunquam antea consueverat. 7. Sudor sanguineus certissimo indicio

cio

*cio vitium corporis denotat. 8. Corpora à subito metu aliâve causâ quâcungq; ita mutari possunt, ut pro sanis haberi non possint. 9. Exempla adducuntur eorum, qui ex animi angore, metu, tristitiâ, & mortis timore repente cani facti fuerunt.*

**P**rocedente capite evi-  
 dum fuit, Christum non san-  
 guini similes aquei sudoris  
 guttulas, ut ex S. Lucae τὸ ὄσπερ post  
 Theophylactum, Thomam Aquinam  
 plurimi Viri eruditi colligunt, sed ve-  
 rum sanguinem sudasse, consequens est,  
 ut priusquam de causis Sudoris sangui-  
 nei Christi agatur, disquiramus, an su-  
 dor ejusmodi sanguineus sit possibilis?  
 Negare hoc ipsum ausus fuit Johan. Ba-  
 ptista Sylvaticus *Contr.* 5. ait quippe  
 hunc ordinem humorum nostri corpo-  
 ris à Medicis constitui, quod tenuissi-  
 ma



ma pars totius massæ spiritus sit, deinde vapor, post serum, deinde bilis, post sanguis arteriarum, deinde lac, tandem sanguis venarum, demum pituita, ac ultimo sanguinis fæx melancholia dicta crassior sit: Quare cum sanguis plusquam mediocriter crassus sit inter reliquos corporis humores, inde existimat per insensiles cutis poros ac minimos, visus sensum effugientes liberè fluere non posse, maximè cum sanguis juxta Galenum nobilissima possessio sit, & naturæ thesaurus, quem ipsa totis viribus servare nititur.

Verùm enim verò sanguineum sudorem possibilem esse & veterum sapientum auctoritas, & experientia cunctorum fidem facit. Possibilem esse agnovit Aristoteles ( qui juxta Averroem lib. 1. de animâ creatus & datus nobis divinâ providentiâ, ut sciremus, quicquid possit sciri ) lib. 3. de part. animal. c. 5. Jam, inquit, nonnullis accidit, ut cruentum quoddam excrementum sudarent propter vitiatum

corpo-

corporis habitum, scilicet cum corpus  
 laxum fluxumque esset; sanguisque præ  
 cruditate humesceret imbecillitate ca-  
 loris, qui exiguus venulis inclusus con-  
 coquere non possit. Possibilem ite-  
 dem sudorem sanguineum esse agnovit  
 Aristotelis discipulus Theophrastus  
 lib. de Sudoribus. Quod si cuilibet in  
 arte suâ credendum, quis auctoritatem  
 ferè omnium Medicorum, sanguineum  
 sudorem possibilem esse statuentium in  
 dubium vocabit? Provocamus ad au-  
 thoritatem Galeni *de util. resp* provo-  
 camus itidem ad recentiores Medicos,  
 quales sunt Gregorius Horstius, Dodo-  
 næus, Johannes Fernelius, Tulpius,  
 Daniel Sennertus, Thomas Bartholi-  
 nus & infiniti alii, quorum nonnulli  
 oculati testes, quis præterea op-  
 pugnavit experientiam ipsam, quæ te-  
 3. statur plurimos sanguineum sudasse su-  
 dorem, nubem testimoniorum heic  
 allegare possem, nisi exempla homi-  
 num sanguinem sudantium sequenti  
 capite adducenda curioso lectori suffi-  
 cerent,

cerent, præterea possibilem esse hanc  
 sudoris sanguinei evacuationem, &  
 illud arguit, quod medicamentis & ar- 4.  
 te talis sudor educi possit, ut succo cu-  
 jusdam herbæ Indos facere tradit Pe-  
 trus de Osma apud Monard. l. 2. quem  
 juncturis applicatum purum sangui-  
 nem per sudorem educere ait, cur igitur  
 naturæ hoc etiam possibile esse ne-  
 gabimus? Refert Zacutus lib. 3. *prax.*  
*miranda Obs. 2.* se in viro succulento  
 febre sanguineâ detento sanguinis su-  
 dorem criticum vidisse. Confer Al-  
 bert. *in orat. de sudore cruento.* Sane  
 cum ex modo adductis sudorem san-  
 guineum possibilem esse constet, tot-  
 que testes habeamus, qui illum vidisse  
 affirmant, veritatem ipsam, cujus ta-  
 men ea indoles & conditio, ut adver-  
 sis contrariorum telis petita ulteriùs il-  
 lustretur, oppugnare videntur, qui cum  
 Sylvatico contrarium statuere non du-  
 bitant, neque enim rationes Sylvatici  
 pro stabiliendâ contraria sententia su-  
 pra adductæ quicquam stringunt, cum  
 illæ

5. illæ ut observat Caspar à Reies Francus illustrissimæ Urbis Carmonensis Medicus juratus in Elysiò jucundarum quæstionum campo, opere erudito & lectu dignissimo *quest. 86. n. 8.* procedant de statu naturali & optimâ corporis constitutione, prout ipse loquitur, multo aliter verò obtinet si vel ob nimiam pororum raritatem, vel ob sanguinis tenuitatem, & seri permixtionem, aut
6. ex malignâ aliquâ qualitate, aut repentina aliquâ conturbatione morbosa dispositio inducta fuerit, quinimo videmus naturam sanguinis copiam, juxta eundem Casp. à Reies laudato loco, quâ frequentissimè opprimitur, per vias quasdam evacuare, per quas sanguinem effundere nunquam antea consueverat, ita per urinæ vias sanguinis humorem natura detrudit, dari quoque homines, qui quemadmodum mulieres, per lotii meatus sanguinem ordinatâ vicissitudine effundant testatur Fabricius Aquapendens *lib. 3. Chirurg. cap. 13.* sic per uberum papillas sanguinem in  
fæmi-

fæminis aliquando exiisse animadver-  
 sum est, ut referunt Amatus *Cent. 2. cu-  
 rat. 21.* adductus præallegato Casp. à  
 Reis & Marcellus Donatus *lib. 1. de med.  
 hist. cap. 2.* Sane omnem sudorem san-  
 guineum certissimo indicio vitium  
 corporis denotare univërfa Medico- 7.  
 rum schola statuit, & experientia con-  
 firmat, præterea omnium corpora à su-  
 bito metu vel aliâ causâ quâcunque ita 8.  
 mutari posse, ut pro sanis haberi neuti-  
 quâ queant tradit celeberrimus & nun-  
 quam sine laude dicendus Thomas  
 Bartholinus *in eleganti dissertatione suâ  
 de Latere Christi aperto cap. 13.* ita ex  
 animi angore, metu, tristitiâ, & mor-  
 tis timore non paucos repente canos fa-  
 ctos fuisse constat, cujusmodi Hispali  
 contigisse dicitur Didaco Osorio, is à  
 Catholico Rege in carcerem coniectus,  
 adhuc admodum juvenis, unicâ tan- 9.  
 tum carcerationis nocte, præ nimiâ  
 animi mæstitiâ, cogitationibus men-  
 tem exagitantibus totus incanuit velut  
 senio confectus. Ludovic. Viv. *in præ-  
 fat.*

fat. in somnium Scipionis. Romana  
 Republicâ florente, cum Sergius Gal-  
 ba à Nerone ad Hispaniæ sedandos mo-  
 tus missus esset ; ac ingressus provin-  
 ciam sacrificaret intra ædem publicam,  
 puero è ministris acerram tenenti, ca-  
 pillus repente toto capite incanuit. Val.  
 in Chron. Hiss. anno Domini 70. id quod  
 jam antea posteritati reliquit C. Sveto-  
 nius in vitâ Sergii Galbæ cap. 8. Acci-  
 ditque, ait Svetonius d. l. ut cum pro-  
 vinciam ( Hispaniam scilicet Farraco-  
 nensem ) ingressus sacrificaret intra æ-  
 dem publicam, puero è ministris acer-  
 ram tenenti, capillus repente toto ca-  
 pite canesceret. Nec defuerunt, qui  
 interpretarentur significari rerum mu-  
 tationem successurumque juveni se-  
 nem, hoc est ipsum Neroni. De Vi-  
 perto, juvene in Racemburgensis Ec-  
 clesiæ Episcopum electo scribit Cran-  
 tzius lib. 9. Metropol. cap. 47. quod  
 cum Romam profectus dispensationis  
 causâ super ætate à Pontifice contem-  
 ptus esset, nocte sequenti totus inca-  
 nuerit,

nuerit, quo viso miraculo Pontificem confirmasse hominem, addita tum dispensatione, cum consecratione.

## CAPUT V.

In quo adducuntur exempla sudorem sanguineum sudantium.

### Summaria.

1. **R**ecensentur scriptores veteres, qui exempla hominum sanguinem sudantium obseruarunt.
2. Illustratur hoc ipsum exemplo Aristobuli ex Iosepho.
3. Necnon alius exemplis lectu dignis.
4. Adducuntur ulterius exempla hominum ex infirmitate & morbis sanguinem sudantium Medicis obseruata.
5. Ex Thuano prioribus alia duo, & deniq;
6. recentiora subiunguntur exempla.

Post-

**P**osteaquam sanguineum sudorem possibilem esse probatum dedimus, ac simul ad experientiam provocavimus, locus postulat, ut exemplis hominum sanguinem sudantium adductis & à nobis observatis rem totam illustremus. Ex veteribus ejus-

1. modi exempla habent Aristoteles *tum lib. 3. hist. animal. c. 19. cum lib. 3. de part. animal. c. 5.* Theophrastus *lib. de sudoribus*, & Galenus *de Util. ressp.* Nec omiserim quod Flavius Josephus *lib. 1. de Bello Judaico c. 3.* de Aristobulo posteritati reliquit, quod is interfecto fratre Antigono, confestim sceleris pœnitentiâ in morbum inciderit, sensimque facinoris patrati cogitatione sollicitus, perturbato animo tabuerit, donec mœroris acerbitate visceribus laceratis subitò sanguinem miserit. Eodem modo Lutetiæ Parisiorum Anno 1583. hominem robustum auditâ in se capitali sententiâ sanguineum sudorem sudasse scribit Thomas Bartholinus



linus in disertat. de latere Christi aperto  
 cap. 13. p. 184. Idem d. l. ex Conimbri- 3.  
 censi Episcopo refert mulierem Lusitani-  
 am oculorum usum ex sanguineis  
 lacrymis perdidisse, sive hæc lachry-  
 marum forma defectu lacrymalis succi  
 evenerit, ut conjicit Collius post Ca-  
 jetanum, sive ad aliam causam referen-  
 da, corpus tamen enerve ob mœstia-  
 m & largos lacrymarum rivulos de-  
 bilitatum satis indicat. Ejusdem mu-  
 lieris mentionem facit Barradius tom 5.  
 Concord. & Histor. Evangel. quatuor  
 Evangelist. ad locum hunc Luca. Et erat  
 sudor ejus &c. lib. 6. cap. 13. addens  
 mulierem istam mariti mortem usque  
 ad lacrymas sanguineas in Lusitaniæ  
 regno deplorasse. Verba Episcopi Co-  
 nimbricensis in Lucam tract. 225. se-  
 quentia sunt. Quædam, inquit, ma-  
 trona in hoc regno tot effudit lacrymas  
 orbata viri sui conjugio, ut deficiente  
 humore, sanguinem per oculos funde-  
 ret, &c. De gloriosâ Maria Virgine  
 narrat Theophylactus sanguineas eam  
 lacry-

lacrymas profudisse, quū filii sui crucia-  
tus acerbissimo doloris sensu defleret.  
Porro Rondoletius *lib. de dignosc morb.*  
*c. 11. § 18.* scribit quosdam poris dila-  
tatis sanguinem emisisse. Similem san-  
guinis evacuationem per sudorem An-  
no 1547. in studioso quodam se vidisse.  
Idem memorat. Greg. Horstius *p. su-  
rum observat.* 15. in pręgnante sudo-  
rem sanguineum se vidisse narrat, eo-  
dem modo quendam circa ilia, per po-  
ros sanguinis libram emisisse testis ocu-  
latus est Dodonæus *Medicar. observat.*  
*cap. 4.* Simile exemplum ex Benive-  
nio tradit Daniel Sennertus, quod scili-  
cet homini alicui singulis mensibus per  
cutem, quā ima jecoris pars subjacet,  
sanguinis libra, quasi ex venâ aperta ef-  
fluxerit, addens neminem discernere  
potuisse, unde evacuatio facta esset,  
nullâ, apparente cicatrice. Fernelius  
*lib. 6. c. 4. Patholog.* refert se vidisse ex  
jecoris imbecillitate sanguinem ab ex-  
tremis venis multis è locis effundi.  
Tulpius *l. 2, c. 31. Observ. Medic. ob-  
servat*

servat in virgine annosâ , sed summè  
 melancholicâ tantum sanguinis per  
 exilia cutis foramina erupisse , ut ne-  
 cesse fuerit impetum istum compesce-  
 re. Actuarius , quem adduxit Thomas  
 Bartholinus *dissertat. de Later. Christi*  
*aperto cap. 13. l. 1. c. 10.* advertit in ju-  
 vene quodam globulos sanguinis in cu-  
 tem per sudorem ab æstu solis & labo-  
 rioso itinere distributos. Lycosthe-  
 nes de Prodigiiis tradit mulierem peste  
 affectam supremâ corporis parte san-  
 guinem sudasse , ac de alia similiter pe-  
 ste laborante Agricola 2. *de Peste* idem  
 posteritati reliquit , cui Misniæ in Ger-  
 maniâ per caput & thoracem sanguis  
 emanavit , priusquam à peste , quâ cor-  
 repta erat , interiret , eodem modo  
 Georgius Fabricius Chemniciensis ad-  
 ductus Johanni Wolffio *Centenar. 16.*  
*Lection. Memorabil. & reconditar. p.*  
 647. testatur , quod suo tempore fæmi-  
 na quædam morbis infestata , per tri-  
 dum sanguineum sudorem emiserit.  
 Simile idque memorabile exemplum

C

poste-

posteritati reliquit Jacobus Augustus  
 Thuanus *lib. 11. ad Annum 1552.* In  
 Italia bello Sub-Alpino, inquit, cum  
 5. Cæsar Magius à Philiberto Emanuele,  
 Sabaudia Duce, jussus, ut Montem-  
 Marinum, munitissimum locum, ag-  
 grederetur, secum ducto Augusto, Sa-  
 luciarum Principis notho filio, eo se  
 contulisset; Augustus præsidiariorum  
 Ducem, cum quo sibi arctissima inter-  
 cedebat amicitia, quasi ad colloquium  
 è munimento evocavit. At Magius,  
 tum è compacto superveniens, compre-  
 hendi illum jussit, & ut locum dede-  
 ret, hortatus, cum nihil proficeret, po-  
 stremò minas addidit, & ipsum vin-  
 ctum quasi ad supplicium in oppidano-  
 rum conspectum deduci imperavit.  
 Quâ in actione simul fuit observatum,  
 hunc præsidiariorum gubernatorem,  
 tam indignæ mortis excitato metu ad  
 eò mente perculsum fuisse, ut sangui-  
 neum sudorem toto corpore funderet.  
 Aliud exemplum lectu dignum extat  
 apud eundem Thuanum *lib. 82. ad An-*

*num 1385. observatum* quoque à parente  
 meo dilectissimo Dn. Christophoro  
 Crusio Jcto in *Considerat. sacr. de*  
*passione Christi cap. 2. sect. 2. p. 61.* de  
 juvene quodam Florentino à Sixto V.  
 Pontifice Romano ad mortem damna-  
 to, de quo refert, quod ipse præ dolo-  
 ris vehementia, lacrymas cruentas  
 fundere, & sanguinem, pro sudore to-  
 to corpore mittere visus sit, ut recen-  
 tiora tangamus parens meus colendus  
 laudato loco ex relatione Viri Reve-  
 rendi Dn. Joānis Schlichthaberi Pasto-  
 ris in Alsvede p. m. affinis mei narrat  
 in hoc Episcopatu Mindensi Hillæ  
 virum agonizantem sudasse sangui-  
 nem. Neque prætereundum heic no-  
 tabile exemplum in *Theatro Europæo*  
*tom. 2 p. 115.* annotatum de milite  
 quodam Cæsareano Geismariæ Hasslo-  
 rum sanguinem sudante Anno 1630.  
 mense Januario ineunte. Inter re-  
 centiora quoque referri meretur, & il-  
 lud sudoris sanguinei exemplum enar-  
 ratum à Guilhelmo Fabricio Hildano

*Cent. 6. observ. Chirurg. Obs. 67. De Virgine quâdam Misnicâ refert D. Salomon Alberti Orat. de sudore cruento, quod illi in lucta & angore mortis, in fronte quædam sanguinis guttulæ proruperint, quod ipsum vehementiam luctæ inter vitam & mortem certò determinasse putat. Quibus modo laudatis exemplis benevolus lector & observata ab ipso exempla addere poterit, cum alius alio plura legere & invenire possit, nemo omnia.*

CAPUT VI.

In quo de causis Sudoris sanguinei agitur.

Summaria.

1. **P**Recipua causa sudoris sanguinei juxta Medicos est vitiosus corporis habitus.
2. Adducuntur eâ de re verba Aristotelis & Theophrasti.
3. Confirmatur rationibus

bus à Furlano laudatis. 4. Recen-  
 tiorum Medicorum sententia eâ de  
 re approbatur. 5. Inter alias sudo-  
 ris sanguinei causas referenda ve-  
 hementiores animi passiones. 6.  
 Quod laudatis testimoniis præcla-  
 rissimorum Medicorum evincitur.



Inter causas Sudoris san-  
 guinei primum sibi vindica-  
 re locum vitiosum corporis  
 habitum vetant nos dubitare Medico-  
 rum filii, qui omnem sanguinis sudo-  
 rem certissimo indicio vitium corporis  
 denotare asserunt ad experientiam in  
 scriptis suis provocantes. Ex veteri-  
 bus producimus Philosophorum Prin-  
 cipem Aristotelem, de quo Justus Li-  
 psius *Manuduct. in Phil. Stoicam dissert.*  
*IV. invidenda quorundam effata habet.*  
 Vid. Virum in Philosophiæ Peripate-  
 ticæ & sui ævi laudem natum Fortu-  
 nium Licetum in duobus quos publico  
 juris fecit libris de Pietate Aristotelis

in Deum & homines. Conf. eundem  
 de primo quesitis per Epistolas Epistola  
 17. ubi de pietate Aristotelis lectu ju-  
 cundaleguntur. Is igitur lib. 3. de par-  
 tibus animalium cap. 5. sequentia hac  
 2. de re posteritati reliquit. ἦδη δὲ πιν  
 ἰδρῶσαι συνέβη αἱμαλάδει περιτλώ-  
 ματι διὰ καχεξίαν, τῷ μὲν σώματι  
 ῥυάδει, καὶ μανῶ γενομένῃ, τῷ δ'  
 αἵματι ἐξυγρανθέντι, δι' ἀπεισί-  
 αν, ἀδυνατήσεως τῆς ἐν τοῖς φλεβίοις  
 θερμότητι πείσσειν δι' ὀλιγότητα. h.c.  
 Interprete Theodoro Gaza. Jam non-  
 nullis accidit, ut cruentum quoddam  
 excrementum sudarent, propter vitia-  
 tum corporis habitum, scilicet cum  
 corpus laxum fluxumque esset, sangui-  
 que præ cruditate humesceret imbecil-  
 litate caloris, qui exiguis venis inclu-  
 sus concoquere non posset. Conf. eun-  
 dem Aristotelem lib. 3. de historia ani-  
 malium cap. 19. Post Aristotelem ad-  
 duci meretur ejusdem discipulus Theo-  
 phrastus, eandem cum Aristotele fo-  
 vens



vens sententiam in lib. de Sudor. ibi  
 ἦδη δὲ πῦρ φασι καὶ αἷματι ἐκείσασθαι,  
 κατὰ τὸν Μονᾶς ἔλεγε οἱ ἰατροί.  
 h. e. ex versione Danielis Furlani: Jam  
 verò ferunt nonnullos ( scil. sudores )  
 & sanguini assimilare, ut Monas Medi-  
 cus dicebat. Ex ejusdem Furlani com-  
 mentariis sequentia digna sunt, ut sub-  
 jiciantur. *Sciendum, ait, sudorem san-  
 guineum à tenui serosoq, sanguinis icho-  
 re fieri. Facile autem potest contingere,  
 ut quemadmodum sudor erumpit à se-  
 rosa sanguinis parte, ita aliquid ei etiam  
 ex ipso sanguine ichoroso præsertim ac  
 tenui permisceatur, sanguineumque su-  
 dorem faciat, ac præsertim si vehemen-  
 tissimus labor præcesserit, corpusque ra-  
 rius sit, sanguinemq, habeat tenuem ac  
 aquosorem. Falsum enim, quod au-  
 dio quosdam objicere, sanguinem si co-  
 qui nequit, corrumpi, sic autem icho-  
 rem fieri ex illo humore, qui ceteros su-  
 perat, ac propterea sanguineum non  
 posse fieri. Nam etsi cruditas quedam  
 sit in sanguine, non tamen ideo corrup-*  
 pitur,

tur, aut amittit formam sanguinis. Cum autem tenuis sit & aqueus, nihil vetat sanguineum quendam ichorem sudorem inficere. In Hippocratis & Galeni libris sudoris sanguinei nulla est mentio, nisi in libro de utilitate respirationis, qui inter spurios Galeni recensetur, quamquam Auctoris est eruditi tum in Hippocratis tum in Aristotelis dogmatibus. A poris ille corporis nimium dilatatis sanguinem aliquando exsudare tradidit, esse autem poros venas subtilissimas, per quas calorem effluere & sudorem. Idem Furlanus d. l. observat, ut sanguineus sudor erumpat, necesse esse, & corpus rarum, & nimio labore agitatum esse æstivo tempore & calido, præterea sanguinem habere tenuem & ichorosum, qui ad meatus corporis attrahatur. Quæ omnia cum rarò simul sint, inde etiam fieri, ut raro sanguineus sudor fuerit observatus. Præter Theophrastum pluribus laudato loco evincentem sudorem ejusmodi sanguineum à malo corporis habitu proficisci, idem

idem statuit Galenus *in libr. de utili-  
tat. respirat.* quem librum tamen inter  
spurios recenset Furlanus verbis mo-  
do adductis. Conf. Cælium Rhodigi- 4  
num *lib. 5. Antiquar. lection. cap. 2.* Ex  
recentioribus Medicis clarissimus Da-  
niel Sennertus *lib. 2. Institut. Medicar.  
part. 3. sect. 2. c. 8.* tres causas sudoris  
sanguinei naturales refert, unam ait  
esse sanguinis tenuitatem & aqvosita-  
tem, alteram raritatem & laxitatem  
cutis, ac pororum apertionem, tertiam  
addit, facultatum nutritionis inter-  
venientium debilitatem, eadem senten-  
tia reliquis supra capite 4. laudatis Me-  
dicis placuit, ad quos lectorem remit-  
to, & huc spectantia, ne falcem in alie-  
nam messem inmittere videar, iisdem  
discutienda relinquo, quibus jungen-  
dus incomparabilis Vir & illustre Aca-  
demix Julix decus Hermannus Con-  
ringius in peculiari discursu manu-  
scripto, in quo de causis cruenti sudoris  
cruditè egit.

Cæterum inter alias sudoris sanguini- s.  
nei

nei causas rectè quoque Medici refe-  
 runt vehementiores animi passiones,  
 ob quas subitos effectus in corporibus  
 accidere posse observat Casp. à Reis  
 Francus Illustrissimæ Urbis Carmo-  
 nensis Medicus in *Elysiò jucundarum*  
*questionum campo quest. 86.* ita ex ani-  
 mi angore, metu, tristitiâ, & mortis  
 timore non paucos repente canos fa-  
 ctos fuisse, supra notavimus, proinde  
 Thomas Bartholinus laudato *tract. de*  
*latere Christi aperto c. 13. p. 186.* tradit  
 perturbationes animum invadentes  
 corpus etiam afficere, temporaria qui-  
 dem, sed longa sui vestigia relinqvete  
 passione, adeo ut vitæ subinde & saluti  
 noceant, juxta Galeni aliorumque ob-  
 servationes, ipseque Medicorum Co-  
 riphæus Hippocrates fateri cogitur, ob  
 quas perturbationes animi easque ve-  
 hementiores quosdam sudorem san-  
 guineum sudasse experientia testatur,  
 ita metus instantis mortis cuidam audi-  
 tâ in se capitali sententiâ Lutetiæ Pa-  
 risiorum Anno 1583. sudorem expres-  
 sit

fit sanguineum, quò etiam spectant ca-  
pitate præcedenti ex Thuano laudata  
exempla.

CAPUT VII.

In quo transit Author ad  
causas Sudoris sanguinei Christi,  
variasque eâ dere Theologorum  
sententias recenset.

Summaria.

1. **P**roponitur prima quorundam  
Theologorum sententia, quod  
sudor Christi sanguineus fuerit con-  
tra naturam. 2. Exhibetur altera  
Theologorum sententia fervori  
amoris ac gaudii profusionem san-  
guinei sudoris tribuens. 3. Ad-  
ducitur tertia eruditorum de sudo-  
re Christi sanguineo sententia. 4.  
Subjicitur quarta sententia Nico-  
lai de Lyra, Gerhardi, Dilherri,  
aliorumque statuentium sudorem

Christi sanguineum fuisse supra naturalem sive miraculosum. 5. Sudor Christi sanguineus an naturalis cum Philippo Melanchthone dicendus? 6. An præter naturam fuerit? 7. Quæ communis sit, ex præadductis, Theologorum sententia quoad sudorem Christi sanguineum?



**C**eterum ut ad sudorem sanguineum Restauratoris generis humani redeamus, offert se difficillima quidem, ast diligenti indagazione digna quæstio. An sudor Christi sanguineus fuerit contra naturam, an verò supernaturalis, aut denique naturalis, sive secundum naturam? Circa quam quæstionem varix & diversæ occurrunt Theologorum sententiæ.

- I. Contra naturam ejusmodi sudorem fuisse ex veteribus statuit Hilarius *lib. 10. de Trinitate*, Sudorem infirmitati,

tati, inquit, nemo audebit deputare, quia contra naturam est sudare sanguinem, idem asseruit Th. Aquinas, qui juxta Petrum Firmianum in *Seculi Genio dissert. 4. p. m. 125.* summorum Pontificum oraculo declaratus est tot edidisse miracula, quot scripsit articulos, eaq; attigisse perspicacissimo ingenio, quæ meruerunt, ut Doctor doctorum & scholæ angelus diceretur. S. Thomam sequuntur plurimi recentiorum Theologorum, S. Hieronymus causam sudoris sanguinei in Christo putat fuisse orationis vehementiam & ardorem, quam sententiam video non obscure approbatam esse à Barradio tom. 5. *Concord. & Histor. Evangel. quatuor Evangelist. ad prælaudatum S. Lucae locum.* Et erat sudor ejus &c. lib. 6. cap. 13. qui tamen ibidem præter hanc aliam addit causam, scilicet inauditam Christi agoniam.

Alii Theologorum contendunt, fervori amoris ac gaudii profusionem illam sanguinei sudoris tribuendam esse.

se. Amor divinus, inquit, in corde Christi in illa agonia timorem humanum vicit, unde totus sanguis Christi exhilaratus commovebatur, quasi pronus effluere ex vi amoris impellentis, ac si non posset expectare tempus, quo effunderetur, unde ex illâ vehementiâ supereffluentis amoris evaporare potuerunt guttæ sudoris sanguinei per venas. Et cum ratio Christi cognosceret, sensualitatem eidem esse obædiētem ad moriendum, suscepit ex hoc in Deo singulare gaudium & naturalem vigorem ac fervorem, per quem totus sensualitatis sanguis fuit commotus. Minus accuratè, nam quamvis rectè dicatur, Christum ne quidem in gravissimâ illâ luctâ deposuisse amorem & promptum obædiendi Patri suo cælesti & moriendi pro genere humano animum, attamen ex historia passionis manifestum est, non amori sed aliis causis, de quibus capite sequenti acturi, præprimis agonix & consternationi causam sanguinei illius sudoris tribuendam esse.

Porr o



Porro non pauci ex Eruditorum sunt numero, quorum opinio fert in istis atrocissimis pavoribus & consternationibus sicut aliis hominibus naturaliter evenire solet, in Christo vero homine sanguinem ad cor recurrisse, 3. idq; propemodum suffocasse, sed Christum acceptâ divinâ consolatione per Angelum fortissimè pavores retudisse, adeò, ut sanguis à corde repulsus ad exteriora proruperit, ac per poros effluerit, sunt verba Centuriatorum Magdeb. cent. 1. lib. 1. cap. 10. Fatemur hanc sententiam quodammodo ex eo confirmari posse, quod consolationem Angelicam sudori sanguineo præponat Evangelista, sed series textus Passionis dominicæ manifestè ostendit explicari illâ descriptione magnitudinem doloris, quo Filius DEI in agonia conflictatus est.

Nicolaus de Lyra, qui è Judæo Christianus factus Hebraicarum literarum peritiâ, & editis Commentariis in universam sacram Scripturam inprimis clarus

clarus fuit in commentario & notis ad verba *Luca c. 24.* supranaturalem sudorem Christi sanguineum fuisse existimavit, eodem modo supernaturalem vel etiam miraculosum sudorem hunc sanguineum fuisse asserunt duo illi incomparabiles nostri seculi Theologi Gerhardus & Dilherrus

— merito quæ doctior orbis submissis defert fascibus imperium. Ille *Harmonia Evangelica continuata tomo secundo cap. 82. p. 1745.* ibi ideò res ipsa testatur, magnum hoc fuisse in corpore Christi miraculum. Hic *tomo 1. disputat. Academ. disp. 17. th. 1.*

5. Quibusdam placuit naturæ tantum hunc sudorem Christi sanguineum adscribendum esse, quæ sententia non displicuit summo Theologo Philippo Melanchthoni monenti, ita de Redemptore generis humani cogitandum esse, ut verum hominem & non spiritum ipsum adeoque & affectibus, absque tamen peccato, quibus homines secundum humanam naturam subjecti, obnoxium

noxium esse statuamus. Alfit, inquit Melanchthon de Redemptore nostro, esuriit, sitiit, indoluit etiam ac metuit, quod historia vitæ ipsius multis in locis testatur; Quare & hunc pavorem, fugamque mortis atque sudorem illum sanguineum, ut partes & organa corporis & humores veri solent, illi accidisse consentaneum est.

Alii præter naturam sanguineum Christi sudorem fuisse existimarunt, quæ sententia placuit Henrico Nicolai Theologo celeberrimo in ipsius Passionalibus. Tutissimè, inquit, magnitudini doloris totum hoc ascribitur de sudore cruento. Vires in totum in ultimo Christi agone resolutæ, pondus peccatorum totius mundi illi incumbens, ac vehemens lucta inter affectum naturæ & voluntatem gratiæ, ingenti consternationi & intensissimo angori juncta, sanguinem etiam præter naturam in subjecto temperatissimo, complexionem delicatâ, cute, poris, & venis rarissimis expressit Paulò

Paulò post subijcit sed hïc Ἰσχυροί & grumi sanguinis in terram cadentes fuerunt, in quo supra, ultra & præter naturam aliquid fuit, eoqve ad naturam non præcisè colligendum, sed speciales ejus modos tutius mirari, quàm rimari fuerit.

7. Equidem ex præadductis diversis Theologorum sententiis communis illa est, quæ afferit miraculosum fuisse Redemptoris nostri sanguinem, quomodo statuunt Cornelius Jans. Episcopus Gandavenfis *Concord. Evang. c. 137.* Alphonfus Salmeron Jesuita *tom. 10. Comm. in N. T. tr. 15.* Simon de Cassia *de gest. salv. l. 13. c. 38.* Johannes Raulinus Gallus Cluniacensis *Quad. serm. 146.* necnon Henricus Harffius *Theol. Myst. p. 15.* Fuit sanguis verus, ait, naturalisque quantum ad suum esse & substantiam, fuit tamen miraculosus & non naturalis quoad modum emanationis & emissionis, quâ è venis emissus fuit. Nam præter totum ordinem & cursum naturalem est sanguineum effundere

fundere sudorem, Idem placuit Gabrie-  
 li Biel *in tract. de pass. Domini artic. 4.*  
 Ex Bedæ sententia sanguis quidem ille,  
 inquit, naturalis fuit, sed effusio ejus  
 cum sudore fuit miraculosa, ut tali si-  
 gno insolito à seculis non audito inso-  
 litam anxietatis & doloris magnitudi-  
 nem demonstraret. Huic sententiæ  
 quoque calculum adjecisse videtur in-  
 comparabilis ille Galliæ Cancellarius  
 Johannes Gerson, neque displicuit præ-  
 laudatis magnis Theologis Gerhar-  
 do & Dilherro. Ex Medicis supra addu-  
 ctis Caspar à Reis Medicus Carmonen-  
 sis *in Camp. Elys. jucundar. quest. 86.* ab  
 hac sententiâ itidem non alienus est,  
 statuens hujus sudoris sanguinei cau-  
 sam supernaturalem fuisse, & patribus  
 Concilii Tridentini idem placuisse;  
 omitto alios, quos omnes si quis heic  
 colligere & in theatrum producere  
 vellet  
 Ille pulveris Erythræ  
 Siderumque micantium  
 Subducat numerum prius,  
 quàm omnes nobis sistat. CA-

CAPIT Vlll.

In quo Author suam de  
causis Sudoris sanguinei JESU  
CHRISTI sententiam ex-  
ponit.

Summaria.

1. **A**uthor statuit sudorem Chri-  
sti sanguineum partim esse  
naturalem, partim miraculosum.
  2. Quam sententiam argumentis  
probat, & evincit sudorem san-  
guineum Christi rectè aliquà ex  
parte dici secundum naturam.
  3. Refutatur Busæi, Pistorii, Fr. Stan-  
cari Mantuani aliorumq; statuen-  
tium Christum mediatorem tantum  
esse eâ parte quâ homo sit, non quâ  
Deus, sententia.
  4. Probatul-  
terius sudorem Christi sanguineum  
ex parte secundum naturam esse,
- ac

ac Christum citra peccatum varias infirmitates corporis sponte suscepisse. 5. Adducuntur pro stabilenda priori sententia verba Melanchthonis. 6. Thomae Bartholini de sudore Christi sanguineo sententia subjicitur. 7. Removentur argumenta dissentientium. 8. An corpus Christi perfectissimum fuerit, & ab omni vitio naturæ alienum? 9. Protestatio Authoris. 10. Sudor sanguineus Christi ex parte supra naturam est, quod probatur. 11. Laudatur locus Levini Lemnii hæc de re. 12. Recensentur scriptores eandem cum Authore quoad causas sudoris sanguinei Christi ferentes sententiam. 13. Iansonii verba hæc de re proponuntur. 14. Subjicitur denique sententia Theodori Beza.

Enar-



Narratis diversis Theologorum aliorumque de sudore JESU CHRISTI

sanguinei causis, superest ut salvo quorumcuaque rectius sentientium iudicio & nostram exponamus sententiam.

Equidem in tantâ Theologorum disensione placet sententia media sta-

1. tuentium sudorem Christi sanguineum partim esse naturalem, partim miraculosum. Naturalem quidem, quod ex parte ejus causæ naturales fuerint. Miraculosum, quatenus heic altius quid intercedit, quod naturali causæ acceptum ferri non potest. Quod verò sudor Christi sanguineus aliquâ etiam ex parte dicatur secundum naturam sive naturaliter factus, inde patet, quod in quâcunque re causa naturalis est, in eâ etiam effectus naturalis existat, cum qualis causa, talis effectus esse debeat, aut verò in sudore Christi sanguineo causam naturalem esse vel exinde constat, quod in Christo humani affe-



affectus testante sacro Codice, præser-  
 tim historia passionis. *Matth. 26. v. 37.*  
 & *Marc. 14. v. 33.* fuerint, quo præ-  
 supposito uti verissimo sequitur, exi-  
 stentibus affectibus humanis subesse  
 quoque causam naturalem & huma-  
 nam. Equidem licet Christus in no-  
 biliori sui parte, animâ, maximos do-  
 lores percepit, tamen illos etiam cor-  
 pus penetrasse per est verosimile, cum  
 juxta Philosophorum Principem *l. 1. de*  
*Animâ c. 1.* affectus animæ corpus hu-  
 manum quoque penetrare soleant.  
 Quod si in hominibus mæror animi,  
 desiderium, metus, alique affectus san-  
 guineum sudorem exprimere potue-  
 runt, prout ipse veritatis merities ex-  
 perientia testatur, & exempla supra ad-  
 ducta probant, quidni idem summum  
 horum affectuum gradum in Christo  
 potuisse efficere dixeris? præsertim  
 cum Restaurator generis humani pas-  
 sus fuerit, ut DEUS & homo. Unde  
 errant Jesuitæ quamplures operationes  
 ad officium mediatorium pertinentes, 3.  
 à Di-

à Divinâ naturâ ita separantes, ut eas soli homini transcribant, quæ sententia placuit Busæo *disp. de persona Christi th. 79.* Tannero *tom. 4. disp. I. qu. 7. dub. 3. n. 46.* Conf. Vasquez. *in p. III. Thom. disp. 83. c. 3.* Pistorium *in Hædoget p. 161.* Estium *ad I. Tim. 2. v. 4.* quinimo Fr. Stancarum Mantuanus statueret non erubuit Christum Mediatorem esse eâ parte, quâ homo fit, non quâ Deus, quam ut & reliquorum sententiam refutavit Jac. Gorscius Polonus *in prælect. Plocensibus lib. 2.* sunt qui Christum, ait, Deum quidem & hominem esse confitentur, sed tamen Divinitatem ejus ab hoc munere meditationis ejus excludunt, solumque humanitati eam tribuunt ac Christum dividunt & planè alterum Christum Deum & hominem constituunt, alterum hominem tantum, qui Mediator fit. Quid enim aliud fuerit, Christum Mediatorem dici secundum solam humanitatem, quam Christum Mediatorem nostrum hominem merum constituere, & ejus digni-

dignitatem ab omni cura salutis nostræ  
 amovere? otiosamque divinam Christi  
 naturam omnino facere? Et tametsi  
 non verbis, tamen re ipsa Christum Je-  
 sum Deum negare. Idem sub finem li-  
 bri narrat, quid in Italia & Hispania ex  
 collatione doctorum virorum eâ de re  
 didicisset: maximè Compluti, ubi cum  
 Caspare Cardillo Villapandeo commu-  
 nicavit, qui ei laudavit illa, quæ à Sta-  
 nislaio Orichovio Roxolano scripta fue-  
 re contra Stancarum in Chimæra, &  
 professus est se & Ecclesiam ita sentire,  
 neque eam sententiam Tridenti, qui le-  
 gissent, ullos improbasse asseruit. Vid.  
 hâc de re egregiè disquirentem amicū  
 & fautorem nostrum per dilectum Dn.  
 Christianum Nifanium SS. Th. Licen-  
 tiatum, Superintendentem ac Confi-  
 storiam Ravensbergicam *in ostensio-  
 ne historico Theologica quod Imp Caro-  
 lus M. in quamplurimis fidei articulis  
 formaliter non fuerit Papista* p. 437. 438.  
 439. & seqq. Sane sententiam hanc re-  
 jiciendam esse tum textus I. Cor. 2. v 8.

D

Rom.

Rom. 8. v. 32. Joh. 1. v. 1. Gal. 4. v. 4. & 1. Tim. 2. v. 6. probant, cum locus expressus Apostoli Col. 2. v. 9. evincit, ibi. In Christo habitat πᾶν τὸ πλήρομα τῆς θεότητος σωματικῶς, hoc est ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ, Damasceno & Athanasio interpretibus, ex quo loco concludit clarissimus D. Molanus in *dissert. de communicat. idiomat.* Christum secundum humanam naturam de omnibus divinæ naturæ perfectionibus participare, unde rectè Christum nostrum Mediatorem secundum utramque naturam ac ut Deum & hominem passum fuisse dicimus, abstinendum tamen esse cum Dn. Molano existimamus à formulis illis Deitatem scilicet esse passam, divinitatem esse mortuam, quod monuit jam ante B. Gerhardus loco *IV. de Pers. & off. Christi* §. 198. p. 481. Cæterum ut ad priora revertamur mitissimus ille agnus DEI non tam mortis conspectu, cum intuitu ejusdem tristius aliquid & magis horribile conciperet, quàm divorcium animæ & corporis, quàm confidera-

deratione immensæ iræ DEI ex suscepto peccatorum totius mundo onere tanto pavore perculsus erat, ut constitutus fuerit in ἀγωνία, in quâ concursus fuit, & quædam quasi conflictatio acerrima cum metus non tam mortis, quàm iræ & iudicii DEI; tum indignationis adversus seductorem generis humani, diabolum, adhæc in exhaustæ φιλανθρωπίας & misericordiæ ex ruinâ mortalium & cupiditatis id liberandi ardentissimæ. Quorum consideratione seriâ non potuit Christus non ἐκδαιμνεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, his enim verbis metum mortis exprimentibus Spiritus sanctus anxietatem Christi in horto exprimere voluit. Equidem si ob metum instantium periculorum & mortis quidam sanguineum sudarunt sudorem, prout Lutetiæ Anno 1583. homini robusto auditâ in se capitali sententiâ contigisse supra notatum, si perturbationes animum invadentes corpus quoque secundum communem 4

experiētiâ afficiunt, si dolores alii que  
 affectus eundem sudorem sanguineum  
 exprimere potuerunt, uti exemplis ad-  
 ductis supra evictum fuit, si deniq; im-  
 merita supplicia, quæ innocentissimis  
 inferuntur, notabiles afferre solent  
 mutationes, quis negabit omnibus hi-  
 sce concurrentibus malis idem Redem-  
 ptori generis humani contingere po-  
 tuisse? præsertim cum Christus non  
 solum ut DEUS, quo casu passio hæc  
 merè fuisset supranaturalis, sed quoq;  
 tanquam homo passus, & secundum hu-  
 manam naturam, ut homo affectibus  
 humanis obnoxius fuerit. Sane ex sa-  
 cro Codice constat Christum citra pec-  
 catum suâ sponte in sacratissimo corpo-  
 re varias infirmitates corporis suscepisse,  
 ac servilem formam induisse, in quæ  
 similis hominibus factus habituque in-  
 ventus ut homo, ipse se submisit *Phil.*  
*2. v. 7. & 8.* hinc esuriit *Matt. 4. v. 2.*  
*& 21. v. 18.* *Marc. 11. v. 12.* sitivit. *Joh.*  
*4. v. 7. 9. 10. & c. 19. v. 28. 29. & 30.* fa-  
 tigatus est *Joh. 4. v. 6.* ingemuit *Marc.*  
 tiga-

7.v.34. flevit *Luc.* 19.v.41. *Joh.* 11.v.  
 35. *Hebr.* 5.v.7. & dolorum plenus fuit.  
*Es.* 53.v.3. & 4. Omitto animi passio-  
 nes, quas Christum itidem lubenter  
 suscepisse sacra testatur scriptura, qua-  
 les sunt fremitus & commotio sui *Joh.*  
 11.v.33. ira *Marc.* 3.v.5. tristitia, ter-  
 ror, angor, timor. *Matth.* 26.v.37.  
*ἀδυσία Marc.* 14 v.33. *ἀγωνία. Luc.* 5.  
 22.v.44. Spectant huc ea, quæ hæc de  
 re posteritati reliquit magni nominis  
 Theologus Philippus Melanchthon  
*parte 1. Consiliorum Theologicorum p.*  
 580. Ita nos de Christo cogitare oportet,  
 inquit, ut non hominem ex homi-  
 ne, ut ita dicam exuamus, hoc est, ne ex  
 Christo spiritum tantum aut phasma  
 quoddam, quod quidam impiè fece-  
 runt, faciamus. Nam cum juxta sen-  
 tentiam Scripturæ verum hominem, &  
 non spiritum aut spectrum ipsum esse  
 sciamus, oportet, & ut affectus & hu-  
 morum motus, absque tamen peccato,  
 illi tribuamus, quibus homines secun-  
 dum humanam naturam obnoxii esse

solent. Hæc Melanchthon laudato loco.

Porro cum juxta receptam Philosophorum & Medicorum sententiam sanguineus sudor certissimo indicio vitium corporis denotet. Vid. Aristotelem *l. 3. hist. animal. c. 19.* Theophrastum, Galenum, aliosq; supra laudatos, rectius sentientium præsertim Theologorum judicio committo, an & huic causæ, sanguineus Redemptoris sudor ex parte adscribendus? Thomas Bartholinus *de latere Christi aperto cap. 13.* ita sentire videtur, dum asserit Christum amore generis humani omnes mortis vices experiri voluisse, quas mala corporis dispositio, sed temporaria brevissimo momento definita potuit insequi, putatq; propter difficultatem itinerum, sæpius repetita jejunia, ac instantium rerum metum Christum patientem sanguinem potuisse per poros emittere.

7. Cæterum non diffitemur huic sententiæ obstare tum istud Vatis Regii Davidis Psalm. 15. v. 10. à S. Petro Act.

2. v.



2.v. 27. confirmatum, nullam scilicet sanctum Domini visurum corruptionem, cum quod Christi corpus juxta communem Theologorum sententiam perfectissimum, & ab omni ejusmodi vitio naturæ alienum fuerit, Verum enimvero quod primam objectionem attinet, non malè Bartholinus *d. tr. de latere Christi aperto c. 12.* Davidem putat non de exigua quadam partium & humorum resolutione mortis plerumq; comite, sed de universâ quam corpora nostra patiuntur corruptione locutum fuisse, quod ipsum innuere quodammodo videtur cælestis Cælius Lactantius *de Verâ sapientiâ c. 19.*

Ad Secundam objectionem reponimus, infirmum Redemptoris tempore passionis habitum dispensationem miserationis, non privationem potestatis aut sanitatis fuisse, & verò quid magis perfecto corpori adversum dici fingive poterit ipsâ morte? eam tamen degustavit humanæ salutis Restaurator, qui pro me doluit, qui pro se nihil habuit,

D 4                      quod

8. quod doleret: suscepit tristitiam meam, ut mihi suam lætitiā largiretur, qui vestigiis nostris descendit usque ad mortis ærumnam, ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam, uti pro rei maiestate differit Bernardus. Bartholin. d. c. 12. salutis humanæ credit interfuisse, ut qui à corruptione æternum duratura nos vindicandos sibi sumpsit, sanctissimum suum corpus huic malo per tempus subjiceret, quo mediatore sanctificata corpora æterno exitio subtraherentur, laudat pro hâc sententia Tostatum & Innocentium, quorum tamen opinionem, quod corruptioni obnoxium fuerit Salvatoris corpus illo temporis momento, quod mortem & lateris aperturam intercessit meam non facio.

Eqvidem non video, quid contra hanc nobis satis probabilem sententiam possit in contrarium ulterius objici, nisi consuetum illorum effugium, qui ad supra naturalem causam omnia revocantes, nil præter miracula, prodigia, & ostenta clamant, neq; existimandum, divi-

divinæ potentia & gloria ullâ parte  
 nos ire detractum, dum ex parte sudo-  
 rem Christi sanguineum naturalem fu-  
 isse putamus, imo verò pari religione  
 & devotionis cultu, ut decet, summum  
 illud Numen veneramus, quod tanquam  
 causa superior & prima per subjectas vi  
 divinitatis operatur, præterea non me-  
 rè naturalem sudorem Christi sangvi-  
 neum statuimus, cùm meritò is ipse ex  
 causis præsentibus supra naturalibus  
 longè pluribus, irâ DEI, gravitate pec-  
 cati, maledicto legis, lucta cum morte  
 & inferno potissimum, adeoque maxi-  
 mâ ex parte supra naturam accidisse di-  
 cendus sit. Evangelistæ sane hanc Chri-  
 sti anxietatem exprimentes scribunt,  
 eundem cœpisse *I. λυπεῖσθαι, 2. 10.*  
*ἐκ γὰμ βεῖσθαι,* quod est animo & cor-  
 pore ex horrescere, quomodo usurpa-  
 tur *Marc. 16. v. 5. Act. 3. v. 11.* alioquin  
*γάμ* affectus est ex admiratione &  
 timore mixtus *Homer. Iliad. ω. γάμ-*  
*βισσαν δὲ καὶ ἄλλοι ἐς ἀλλήλους δὲ*  
 D 5 *ἴδον.*

ἰδοντο. (3.) ἀδύμωεν, quod impotentem animi molestiam, ingentem dolorem, ac mortiferam tristitiam sustinere significat, hinc apud Hippocratem in morbo lethali constituti, sunt ἀδύμωες, eodem modo Plutarch. in Numâ ἀδύμωίαν ψύχης dixit, quinimo (4.) S. Lucas noster tradit Redemptorem nostrum in ἀγωνία constitutum fuisse, quâ de re, ut & de vocis ἀγωνία, significatione legi merentur tradita B. Gerhards Theologi incomparabilis in aureo opere *Harmon. Evangel. cap. 12. p. m. 1745*. Et sane plerique causam sudoris sanguinei agoniam ejusmodi fuisse statuerunt, quos inter celeberrimi Theologi *Philippus Melanthon, Martinus Chemnitius, Johannes Georgius Dorscheus*, è Reformatis eadem placuit sententia *Theodoro Bezae, Calvino*, aliis, quorum verba brevitatis studio adducere omitto, fuit verò Ἀγωνία hæc non trepidatio quædam, ut Gabriel Vasquez in p. 3. Thomæ d. 56. q. 12. c. 2. puta-

putavit, sed fervens lucta, certamen, & contentio, (quæ trepidationem, ἀδύμωλια & ἐνθάμβια (iv in horto subscuta fuit,) ipsius animæ sanctissimæ Redemptoris, omniumque virium & facultatum ejus cum ira divina, peccatis totius mundi, & tentationibus diabolicis, quod ipsum præterea evincunt (5.) verba ista Tristis est anima mea usque ad mortem, quæ adducens Levinus Lemnius lib. 1. cap. 12. de occult. naturæ miraculis sequentia subjicit. Quand quam nondum illi, (Christo scilicet) insultaret aut manus inferret insolentia militaris, totâ tamen mente & cogitatione in imminens periculum defixus, tanto horrore & trepidatione concussus est, ut affectus sanguineum sudorem expresserit, **II** toto corpore confertim atque effusè promanantem, sic ut utrique parti acerbitas illa doloris sit communicata, atq; ex animo in corpus redundare ceperit. Nec est, quod quis opinetur, in hujusmodi pavore animam vitalem ac vegetantem, tum spiritus naturales tantum affici; imò  
 pars

*pars hominis potior discrimini objicitur, in eamque tota vis mali decumbit, quæ tamen originis suæ memor, vires colligit, ac cœlesti fulta presidio, intrepidè infractoque animo adversus pericula subsistens, divinitus solamen accipit. Hæc*

12. *vinus Lemnius d.l. Sane sententia nostra, quæ Restaurator generis humani secundum naturam aliquæ ex parte sanguineum sudorem emisisse dicitur, ne cuiquam nova videatur, jam antea placuit Dn. Danieli Clafenio Jcto, ac Viro multæ lectionis & Antecessori in illustri Academia Julia celeberrimo in*  
*Exercitat. in Passionem Dominicam lib. 2. c. 1. nec non amico meo, & in Academia Juliâ quondam studiorum com- militoni Dn. Joh. Justo Oldesop in sei- nen Anmerkungen über seine erste An- dacht von dem blutigem Schweiß Jesu Christi/ ubi asserit cruentum illum su- dorem in Christo maximâ ex parte & potissimum supra naturam fuisse, nihil- ominus tamen aliquo etiam respectu secundum naturam, & naturalem vocari*

cari posse, ita tamen, ut non plane ex-  
 cludatur modus contra naturam. Non  
 alienus quoque videtur ab hac sententiâ  
 Jansenius in *Concord. Evangelist cap.*  
 137. Quamquam, inquit, non sine stu-<sup>13.</sup>  
 pendo quodam miraculo acciderit, ut  
 in Christo sanguineus sudor efflueret,  
 in documentum ingentis cruciatus, at-  
 que in mysterium, tamen quo magis id  
 credibile fiat & intelligatur, sciendum,  
 sic esse humani corporis naturam, ut  
 sudoris vice sanguinem tenuem emitte-  
 re possit: Id enim Medici scribunt acci-  
 dere ictis à serpente, cui à fluxu sangui-  
 nis Hæmorrhoidis nomen est. Hæc Jan-  
 senius laudato loco Neque audiendi heic  
 sunt, qui omnia ad supra naturalem  
 causam revocantes extenuare conantur  
 insignia angoris, metus aliorumque af-<sup>14.</sup>  
 fectuum humanorum in Christo tem-  
 pore passionis argumenta. Nam infir-  
 mitas, ut cum Leone Papa Magno di-  
 cto loquar, atque mortalitas, quæ non  
 peccatum erant, sed pœna peccati, à  
 redemptore mundi suscepta sunt ad

supplicium, ut impenderentur ad precium. Rectè proinde Theodorus Beza in Annotat. ad h. Lucæ locum. Digni sunt reprehensione, ait qui, ne videantur Christo tribuere tam insignia humanæ infirmitatis argumenta, ista extenuant, in quibus tamen posita est nostræ pacis & cum DEO reconciliati-  
onis summa.

CAPUT. IX.

De modo sudoris sanguinei Christi

Summaria.

1. **A**N Christus purum cruorem exsudaverit? 2. Suarezij eâ de re sententia proponitur & 3. Approbatur. 4. Vox ἰσόμενοι exponitur laudatis verbis Herodoti, Strabonis, Dioscoridis, Hippocratis & Galeni 5. Probaturo testimonio Hesychij vocem ἰσόμενοι simpliciter & sine additione τῶ ἀματῶ possi-



positam grumos sanguinis nihilo-  
minus denotare. 6. Evincitur Gro-  
tium sudorem Christi sanguineum  
impugnantem malè provocare ad  
authoritatem Iustini Martyris. 7.  
Christi sanguis tenuis quidem fuit,  
sed mox ob aëris & nocturni tem-  
poris frigiditatem conglobatus &  
in grumos concretus fuit. 8. Refe-  
runtur hâc de re verba Gerhardi.  
9. Lucas professione Medicus an  
ille sit, cujus meminit Galenus in  
Aphor. Hippocratis? 10. Examina-  
tur Vulgata latina versio de sudo-  
re Christi sanguineo. 11. Laudan-  
tur versiones Italica, Gallica, Bel-  
gica, & Germanica. 12. Rejeçta  
quorundam opinio de numero gut-  
tarum dominici sudoris.



Irca modum Sudoris san-  
guinei Christi variæ sese offe-  
runt

1. runt Theologorum sententiæ, alii quippe Redemptorem non purum cruorem exsudasse existimarunt, alii, inter quos Franciscus Lambertus in *Comment. ad Luc.* statuerunt Christum excessu doloris immensi, sanguinem pro sudore, atque adeo purum sanguinem emisisse, ut novus ille sudor summum angoris laborem ostenderet; Vid supra laudatos Cajetanum, & Barradium tom. 5. *Concord. & Histor. Evangel.* 4. *Evangelist. lib. 6. c. 13. adh. l. Luca.* Et erat sudor ejus &c. Porro Suarezius apud Cornelium à Lapide in Lucam statuit Christum tantum sudasse subtilem sanguinem, sed copiosè, ita ut is veniens ad extremas corporis partes, & per se, & propter aerem frigidum in grumos condensatus sit. Quæ sententiæ per videtur verisimilis & verbis Evangelicis conveniens, quod scilicet fuerit Redemptoris sudor ὡσεὶ ἕρμαλοι ἀίμα. 70. Cæterum quod vocem ἕρμαλοι attinet, constat eandem propriè rei liquidæ in unam massam concretæ frustum



stum denotare, quod videmus, fieri in  
 quibusdam humoribus lapidescenti-  
 bus, qui dum exsudant ex poris cavernæ  
 & destillant, concrefcunt & inspiffan-  
 tur, ita Herodotus *lib. 1.* bituminis  
 concreti frustra appellavit θρόμβος ἀσ-  
 φάλτης. quos Strabo *l. 16.* βόλβος  
 glebas vocat, Dioscoridi, *lib. 3. c. 44.*  
 θρόμβοι αἵματός sunt αἷμα πεπη-  
 γός. Apud Galenum *in libro de tuma-*  
*ribus* præter naturam θρόμβος exponi-  
 tur conferta sanguinis concretio. Eo-  
 dem modo apud Principem Medico-  
 rum Hippocratem (qui in suspicionem  
 incensi Æsculapii templi, & surrepto-  
 rum inde remediorum incubantibus æ-  
 grotis ab Æsculapio reuelatorum apud  
 plurimos de venit, prout primus, quod  
 sciam, annotavit Strabo *lib. 15. p. 425.*  
 & Plinius *lib. 26. N. H. c. 1.* qui Varro-  
 nem insuper auctorem laudat. Vid. Joh.  
 Langium *lib. 1. Epist. Medic. 51.*) oc-  
 currunt θρομβώδεια αἵματα sanguinis  
 grumi. Conf. eundem *l. 5. f. 7. aphor 80.*  
 Sane

Sane vocem ἱρόμβοι simpliciter & sine additione τῆ ἀίματος positam grumos sanguinis nihilominus denotare constat ex vetusto Lexicographo Hesychio, qui pari ratione simplicem vocem ἱρόμβος explicat, observante Matthia Martinio, eodem modo Æmylius Portus Græcæ lingvæ in Academia Heidelbergensi quondam Professor, vertit vocem ἱρόμβος apud Suidam: ibi ἱρόμβος, Grumus, concreti sanguinis pars. Quæ cum ita sint rectè notat Oldekop loco præcedenti capite adducto contra Grotium in *Annotat. ad N. T. ad Luc.* sudorem sanguineum Christi impugnantem malè provocare ad autoritatem Justini Martyris hisce verbis. Non aliter certè intellexit (scilicet quæ in præcedenti adduxerat, Christi sudorem nempe verum fuisse sudorem, qui emanavit, non tenuem tamen, sed crassum, quales esse solent grumi sanguinis, cum sudor vix soleat ἱρόμβος εἶναι, sunt verba Grotii) Justinus

nus colloquio cum Tryphone, qui omi-  
 missâ sanguinis mentione satis habuit  
 grumos dixisse: ἰδὼς ὡσεὶ θρόμβους  
 κατεχεῖτο αὐτὸ εὐχόμενος. Sane in  
 hisce verbis Justini nisi θρόμβους de  
 sanguineis grumis accipiam<sup>9</sup> sequeretur  
 particulam ὡσεὶ excludere etiam ve-  
 rum sudorem grumosum, rectè proin-  
 de Justini Interpres Johannes Langus  
 talem græci idiomatis versionem lati-  
 nam exhibuit: Nam in libris, qui sunt  
 ab ejus discipulis eorumque sectatori-  
 bus compositi, memoriæ mandatum  
 est, sudorem ipsius, tanquam guttas san-  
 guinis defluxisse in terram, eo depre-  
 cante & dicente: Transeat, si fieri po-  
 test, poculum hoc.

Porro ut ad priora redeamus, proba-  
 bile est eruptum Christi sanguinem 7.  
 tenuem quidem fuisse, sed mox ab aëris  
 & nocturni temporis frigiditatem con-  
 globatum & in grumos concretum fu-  
 isse, quæ sententia quoque placuit claris-  
 simo Danieli Clasenio in *Exercitat. sa-  
 cris ad Passion. dominic.* & ante eum  
 Ger-

- Gerhardo *Harmonia Evangelist. cap.*  
 8. 182. p. 1745. Qui cum Syri versionem  
 adduxisset; ibi. Et factus est sudor ejus,  
 sicut demissiones sanguinis, & cecidit  
 super terram, subjungit, *Ex quo intel-*  
*ligitur, quod sanguis ex toto Christi cor-*  
*pore largiter eruperit, & ex frigiditate*  
 9. *currerit. Cum verò sanguis undique ve-*  
*nis velut tubulis ac canalibus inclusus*  
*carnis in super & cutis tegumento prohi-*  
*beatur ne effluere possit, ac si vel maxime*  
*referatis venarum orificiis profluat, pori*  
*tamen angustiores ejus è corpore exitum*  
*prohibeant, ideo res ipsa testatur, ma-*  
*gnum hoc fuisse in corpore Christi mira-*  
*culum.* Hæc Gerhard. d. 1.

Quæ cum ita sint, apparet quoq; mi-  
 nus accuratè Vulgatum Latinum Inter-  
 pretem Ὁπόμῆς, quam vocem Lucas  
 Evangelista professione Medicus (pro-  
 ut testatur S. Paulus ad Coloss. 4. v. 14.  
 idem tradunt Eusebius Cæsariensis l. 3.  
*Ecclesiast. histor. c. 2. & S. Hieronymus*  
*de Scriptor. Ecclesiast. & in Epist. ad*  
 Pau-

Paulinum, & in Esaiam c. 6. putatq; incomparabilis Jctus & Senator Parisiensis Andreas Tiraqvellus in percelebri opere de Nobilitate c. 31. n. 87. hunc Lucam nostrum eum fuisse, cujus meminit Galenus in Aphor. Hippocratis, cum nullus ante Galenum alius hujus nominis Medicus legatur) seu terminum artis in hac de sudore Redemptoris nostri materia adhibere voluit, more reliquorum Medicorum Hippocratis aliorumque, reddidisse Guttas, magis emphaticè alijs globos, reddunt, grumos alii, ita Italica versio, ibi grumoli di sangve, & 10. Gallica ibi. Et lui estant en agonie, prioit plus instamment: & sa sueur devint comme grumeaux de sang decoulans en terre, eleganter quoq; Belgica versio Lugduni Batavorum edita<sup>II</sup> laudatam vocem græcam expressit sequentibus verbis Ende syn Schweet wart gelyck grote Droppelen Bloedis/ eodem modo versio B. Lutheri Germanica rectè habet: Es war aber sein Schweiß wie Blutstropfen/ die fielen auff

auff die Erde: Porro quod verbum  
 12. *καταλαίεσθαι*, quo Evangelista heic  
 usus fuit, attinet, exprimere eodem co-  
 piam sudoris sanguinei voluit. Hinc  
 quidam referente Hieremia Drexelio  
 de Christ. mort. p. 2. c. 2. quâ notitiâ  
 aut curiositate, mihi non liquere fateor,  
 Dominici sudoris guttas numerantes,  
 dixerunt effluxisse centenas quinquagenas  
 octonas, sed incerta ejusmodi,  
 monente Drexelio mittamus, sufficiat  
 nobis, quod testante S. Evangelista ex  
 omnibus sanctissimi corporis membris  
 sanguineus sudor, guttatim in terram  
 defluerit.

CAPUT X. & ultimum

In quo reliqua, quæ ad di-  
 squisitionem de sudore CHRISTI  
 sanguineo spectare videbantur, expo-  
 nuntur, cum dissertationis epilogo.

Summaria.

1. *S*udor Christi sanguineus sim-  
 plex & purus fuit, 2. *An* Chri-  
 stus



*stus in tribus orationibus in horto  
 Gethsemaniter, an verò semel tan-  
 tum in tertiâ oratione sudaverit  
 sanguinem? 3. Sudor sanguineus  
 Christi significavit futura Ecclesie  
 martyria. 4. Persecutiones Chri-  
 stianorum truculentiores recensentur.  
 5. Exhibetur devota conside-  
 ratiopassionis Christi, & de persecu-  
 tionibus Christianorum egregius lo-  
 cus Macarii. 6. Lectio non injucun-  
 da de sudore Christi sanguineo ad-  
 ducuntur, cum annexo judicio de e-  
 ditis exercitationibus de sudore  
 Christi sanguineo Theologi eximii  
 Stephani Klotzii. 7. Pia meditatio  
 sudoris Christi sanguinei non tam  
 ad ecclesiasticos, quàm etiam Laicos  
 spectat. 8. Laudantur Icti, qui e-  
 ditis scriptis Theologicis inclarue-  
 runt. 9. Oratione dissertationi fi-  
 nis imponitur.*



**S**udorem Restauratoris generis humani sanguineum simplicem & purum fuisse, ut ut contraria sententia placuerit Nicolao de Lyra in gloss. ad h. S. Lucæ locum, Cajetano Cardinali ibidem, nec non Quaresmio t. 5. de vuln. Christi c. 2. Sect. 4. Conf. Cornel. à Lapide in h. l. præcedenti capite monuimus, præterea  
 1. argumentis non infirmis, ut speramus, evictum fuit, sudorem Christi sanguineum ex parte naturalem dici posse, & verò quid opus ad miracula confugere; ubi quid naturalium causarum auxilio assequi possibile, sane in sudore Christi sanguineo subesse causas naturales, vel exinde apparet, quod in Christo sanguinem sudante, vel historia Evangelicâ Passionis testante, fuerint humani affectus, quos corpus humanum quoque penetrare, observavit Aristoteles lib. 1. de Anima cap. 1. præterea cum Redemptor noster passus fuerit ut DEUS & homo, hâc in parte etiam secundum naturam humanam, eundem affectibus humanis

manis obnoxium fuisse, sequitur, adde  
 quod primitivæ Ecclesiæ Patres non fa-  
 tis accuratè sudorem Christi sanguine-  
 um ad ostendendam veritatem huma-  
 næ naturæ adduxissent, si is ipse tantum  
 miraculosus fuisset, mitto rationes Sua-  
 retzii apud Quaresmium tom. 5. de vuln.  
 Chr. & Maldonati in comment ad Matt.  
 c. 26. p. 590. Ratio naturalis, inquit Mal-  
 donatus d. l. docet in hominibus præsertim  
 rare texturæ delicatæque constitutionis  
 fieri id posse; cum enim sudor nihil aliud  
 sit, quàm pars sanguinis aquosa, quæ in  
 venis est, cur quemadmodum omnibus  
 pars illa per sudorem effluit, non possit in  
 paucissimis quibusdam, qui rarissimo  
 sunt corpore, & subtiliorem sanguinem  
 habent, sanguis ipse tenuior loco sudoris  
 effluere, & quemadmodum videmus o-  
 mnes subito correptos metu sudare; ita  
 Christum, qui delicatissimæ naturæ erat,  
 non dicamus naturaliter apprehenso igno-  
 miniosissimo genere mortis sanguinem su-  
 davisse. Hæc Maldonatus.

Cæterum non prætereunda hoc lo-

E

co

co & illa à Theologis ventilata quæ-  
 2. stio, An Christus in tribus ab Evange-  
 listis annotatis orationibus in horto  
 Gethsemani ter, an verò in ultimâ &  
 tertiâ tantum oratione sudaverit san-  
 guinem? Et quamvis primâ fronte  
 summus ille angor, quo Christus tum  
 correptus fuit probabiliter arguat Chri-  
 stum tam in primâ, & secundâ quàm in  
 tertiâ oratione sanguinem profudisse.  
 Verisimilior tamen Gerhardi sententia  
 est *tom. 2. Harm. Evangel. c. 187. pag.*  
*1747.* consolationem Angeli & sudo-  
 rem sanguineum ad tertiam oratio-  
 nem, quam describit S. Lucas pertinui-  
 sse, quæ sententia quoq; approbata à  
 Fr. Luca Brugensi ad h. S. Lucæ loc.

Parro hunc sudorem sanguineum  
 Christi, Ecclesiæ ejusdem futura marty-  
 3. ria præsignasse Prosper versibus supra  
 adductis testatur, notantq; post Augu-  
 stinum recentiores Theologi, & inter  
 illos Barradius *tom. 5. Concord. & hist.*  
*Evangel. adh. Luc. loc. lib. 6. c. 13.* sudo-  
 rem Redemptoris sanguineum signifi-  
 casse

casse de toto corpore illius, quod est Ec-  
 clesia, emanaturas martyrum passiones,  
 quod ipsum impletum, factumve fuit  
 decem illis præcipuis & vehementiori-  
 bus ab Augustino *lib. 18. de Civ. DEI*  
*cap. 52.* & plerisque aliis enumeratis  
 persecutionibus, præsertim primâ il-  
 lâ sub Nerone Christianæ gentis, testi-  
 bus Tertulliano *cap. 5. Apolog.* & Sul-  
 pitio Severo *lib. 1. Hist.* ex professo ho-  
 ste, quando juxta Tacitum *lib. 15. An-*  
*nalium.* Pereuntibus addita ludibria,  
 ut ferarum tergis contacti, laniatu ca-  
 num interirent, aut crucibus affixi, aut  
 flammandi, atque, ubi defecisset dies,  
 in usum nocturni luminis urerentur.  
 Vid. Juvenalem *Satyrâ I. § 8.* & Sca-  
 ligerum *lib. 5. de Emendat temporum in*  
*cap. de Româ sub Nerone incensâ.* Conf. 4.  
 Lydium in *Glossario ad Nicolaum de*  
*Clemangiis*, & à me notata in *lucubrat.*  
*meis histor. Philologico-juridicis de No-*  
*cte & nocturn. offic. tam sacris, quàm*  
*prophan. c. 16. p. 300. 301. & 302.* cui  
 similis truculentissima Christianorum  
 E 2 per-

persecutio sub Trajano Imperatore, aliaq;, de quibus pluribus heic agere pretium operæ non erit.

Cæterum si Christus a deo cum morte in horto Gethsemani luctatus fuit, ut sudorem emiserit sanguineum, ne nos  
 6. in illa luctâ cum morte succumbere-  
 mus, si primitivæ ecclesiæ Christiani, aureo illò ævo, dum sanguis Christi adhuc calebat in ecclesiâ, & multo avidius tum martyria gloriosis mortibus quærebantur, quàm nunc Episcopatus pravis ambitionibus appetuntur, ut ait Sulpitius Severus *lib. 2. hist.* tam forti & constanti animo pro religione Christiana quævis supplicia & persecutiones horrendas sustinuerunt, horumq; martyrum sanguis, Tertulliano teste, semen Christianorum fuit, honori nobis ducamus, non oneri, si Redemptor quoq; noster crucem nobis tradat portandam. Quam pulcrum enim spectaculum DEO, cum Christianus cum dolore congregitur, cum adversus minas, calumnias malevolorum, & suppli-  
 cia

cia componitur, cum strepitum mortis  
 irridens, insultat, in æternitatem, cui  
 natus est, mentem oculosque conjici-  
 ens, cujus vota omnia & calentia de pe-  
 netrali pectoris suspiria tendunt ad cru-  
 cem. Hoc enim demum vivere, hoc sa-  
 pere est, intra vulnera Christi vivere,  
 totumque in cruce ejusdem amoris ni-  
 dum figere. Sane in quod peccatorum  
 barathrum, & æterni abyssum exilii &  
 exitii delaberemur, nisi paterna DEI  
 manus quotidie nos castigaret; si igi-  
 tur putas te non habiturum persecu-  
 tiones, nondum exipisti esse Christia-  
 nus. Χρὴ γὰρ σε σταυρωθῆναι τῷ  
 σταυρωθέντι, inquit Macarius *homil.* 12.  
 συμπαθεῖν τῷ παθόντι, ἵνα ἕτως συν-  
 δοξαθῆς τῷ δοξαθέντι. Ἀνάγκη  
 γὰρ τὴν νόμφην συμπαθεῖν τῷ νυμ-  
 φίῳ, καὶ ἕτω γενέσθαι κοινωνὸν καὶ  
 συγκληρονόμον χειρῶν, ἔκ ἐγχαρῆ γὰρ  
 ἄνευ παθημάτων, καὶ τῆς τραχείας,  
 καὶ στενῆς καὶ τεθλίμμενης ὁδῶ εἰσελ-  
 θεῖν πῶς εἰς τὴν πόλιν τῶν ἁγίων καὶ

ἀναπαύσαι καὶ συμβασιλεύσαι τῷ βασιλεῖ, eis τῆς ἀπεράντης αἰῶνας: oportet enim te simul crucifigi cum crucifixo, simul pati cum passo, ut ita simul glorificeris cum glorificato. Necesse enim est, sponsam pati cum sponso, atque ita sociam fieri & coheredem Christi. Non enim permissum est ulli, nisi per afflictiones, per asperam, angustam, arctamque viam ingredi in civitatem sanctorum, & requiescere ac regnare cum Rege in infinita secula.

Ut ad priora revertamur, sicco pede prætereo, quæ de asservato sudario montis Oliveti, quo Redemptor sanguinem sudans se absterfisse dicitur

7. Gretserus de S. Cruc. t. 1. l. 1. c. 97. nec non arbore rigatione sanguinis ex corpore Christi in horto decidentis nata, cujus singula folia hanc præferebant inscriptionem: O mors, quam amara est memoria tui, quidam scriptores posteritati reliquerunt, hæc enim aliq; latius exposuit in tractatu posthumo de sudore Dn. JESU CHRISTI sanguineo

Vir



Vir Reverendus & eruditissimus Stephanus Klotzius SS. Theologiæ Doctor per regios Ducatus Slesvici ac Holsatiæ Superintendens Generalis, cujus exercitationes post hanc elaboratam dissertationem ad manus meas pervenerunt, quid verò à prælaudato eximio Theologo prolixiori illo tractatu, & à me hâc dissertatiunculâ præstitum, tuum erit benevole Lector dijudicare, qui utriusq; scripta legis. Sane pleraq; quæ ad illustrationem historiæ sacræ de sudore Christi sanguineo spectare & lectu digna videbantur à me hâc dissertatione sepositis digressionibus huc non spectantibus adducta fuisse, meque quoad causas sudoris sanguinei in Christo aliam prorsus ab ipso fovere sententiam ex perlectione dissertationis nostræ condido Lectori constabit, alioquin Virum Reverendum & eruditissimum D. Klotzium, ne fortean brevitatis exercitationum suarum foret despectui, voluisse molem aliquam issdem quærere digressionibus variis, vel ejusdem *exercita-*

*citatio* 14. quæ ferè sextam tractatus partem constituit, probat, ubi integrâ exercitatione de cruentatione cadaverum præfente reo & homicidii suspecto, & an illa indicium ad torturam præbeat? satis prolixè egit, quæ cruentatio cadaverum quam affinitatem habeat cum sudore Redemptoris nostri sanguineo mihi non liquere fateor, ad eandem classem referenda ea, quæ de excrementis & enixis serpentibus *exercitat.* 10. necnon de sanguinis pluvia, & imaginibus sanguinem sudantibus *exercitatione* 12. factâ digressionè latissimè annotavit, interim reliqua, & quæ de confortatione Angelicâ Christi, cujus capite primo obiter mentionem fecimus, prolixè ab eodem *Exercitatione* ultimâ ad ducta fuere, legi merentur.

Atqui hæc sunt quæ ut rationem otii à DEO elapsis hisce feriis messium concessi redderem de sudore Redemptoris mei sanguineo, cujus pia, seria, & devota meditatio, non tam ad ecclesiasticos, quorum alioquin proprium juxta  
Sta-

Stanislaum Hofium Episc. Varnienf. c.  
 24. de fide Cathol. docere in ecclesiâ,  
 quàm laicos spectat. Vid. Cyprian. lib. 2.  
 Epist. meditari volui, neque objiciat  
 quispiam me argumenti genus à pro-  
 fessione meâ alienum suscepisse, fece-  
 runt enim idem ante me Jcti tam vete- 9i  
 res quam recentiores, quales fuere Ger-  
 son Cancellarius Parisiensis, Jodocus  
 Damhoderius, Ludov. Lopezius, Cardi-  
 nalis Gabriel Paleotus, Gabriel Biel, Hie-  
 ronymus Scurffius, Joannes Reuchlinus  
 Jctus & Consiliarius Casareus, Uldaricus  
 Zasius, Andreas Gorrutius, Johannes  
 Wolffius, Joachimus à Benst, Joachimus  
 Mynsinger, Rutgerius Rulandus, Christo-  
 phorus Besoldus, Carolus Molineus, In-  
 nocentius Gentilettus, Philippus Morne-  
 us Dn. in Plessen & Dux Cataphracto-  
 rum Regis Gallie, Bilibaldus Pirckheimer  
 Jctus & Consiliarius Casareus, Sebastia-  
 nus Medices, Conradus Brunus, Alberi-  
 cus Gentilis, Scipio Gentilis, Corasius,  
 Conradus Rittershusius, Eberhardus à  
 Weihe, Johannes Heringius, in specie

de passione & morte Salvatoris nostri  
 JESU Christi scripserunt *Antonius  
 Natta*, supra laudatus *Gerson*, & ex  
 recentioribus *Emundus Merillius*, An-  
 tecessor in Academia Biturgum quibus  
 addendus parens meus colendus *Chri-  
 stophorus Crusius* Jctus vir modo octo-  
 genarius, qui non modo edito erudito  
 opere de indiciis delictorum, cujus en-  
 comium, & de eo judicium Vid. apud  
*Anonymum in not. ad Conradi Hartz-  
 tract. criminal. de reorum imprimisque  
 veneficarum inquisitione Conclus. 5. p. 94.*  
 sed & elaboratis Considerationibus sa-  
 cris de passione, morte, & resurrectio-  
 ne JESU Christi Filii DEI & Redem-  
 ptoris generis humani erudito orbi  
 specimina tam in Theologiâ, quam ju-  
 re dedit, neq; prætereundi heic magni  
 Jcti *Hugo Grötius*, & *Jacobus Go-  
 thofredus*, qui præ omnibus tum An-  
 notationibus in universam, scripturam  
 sacram, cum editis exercitationibus sa-  
 cris æternam apud posteros, gloriam  
 consecuti fuere.

At.

Atque heic finire me posse arbitrer,  
 non quod omnia dicta sint, que dici pote-  
 rant, sed quod pro instituti ratione di-  
 ctum satis sit. <sup>10.</sup> Quod superest ô aterne &  
 misericors Deus, creator noster, qui tan-  
 tum mihi quotidie elargiris, quantum  
 nec animus agnoscere, nec lingua potest  
 predicare, respice in faciem JESU Chri-  
 sti Filii tui & Redemptoris mei, & pro-  
 pter ejusdem sanguineum sudorem, pas-  
 sionem, & vulnera miserere mei. Effice  
 queso, ut cum Petro & Mariâ Magdale-  
 nâ aliisq; peccatoribus interius deplem  
 peccata mea, ac semper cogitem me na-  
 tum morti. Hanc non esse in dubio sed  
 diem & horam, stultam præterea morta-  
 litatis oblivionem esse, in senectutem dif-  
 ferre sana consilia, & inde velle vitam in-  
 choare, quo pauci perduxerunt. Da  
 quoq; in hâc vitâ, que nostra mortalitas  
 desiderat, & ut nominis tui gloriam in  
 omnibus actionibus meis sincerè que-  
 ram:

Deniq; hæc sit prima curarum, ut ad  
 horam mortis rectè sim preparatus. Hoc

enim momentum illud est, unde pendet  
 eternitas, illa felix aut miseranda, utra-  
 que aeterna. Vivat atq; vigeat semper in  
 corde meo sanctissimi meriti Redemptoris  
 mei salutaris recordatio, & ut utar ver-  
 bis Antonii de Guevarra in monte Cal-  
 variae c. 42. p. 34<sup>1</sup> ex lachrymis paretur  
 atramentum, ex corde adornetur papy-  
 rus, & characteribus sanguineis descri-  
 batur in corde meo historia sudoris san-  
 guinei, vulnerum, & passionis Christi.  
 Hic enim pro me & toto genere humano  
 sanguineum sudorem fudit, ne frigidissim-  
 us in mortis agone sudor me opprime-  
 ret, luctari cum morte voluit, ne in luctu  
 cum morte deficerem, tristitiam ineffabi-  
 lem sustinere voluit, ut aeternae letitiae in  
 caelis particeps fierem. O quas laudes,  
 quas gratiarum actiones pro tanto bene-  
 ficio IESU meo cum universa trium-  
 phante ecclesia aliquando acturus sum,  
 interea in hac militante ecclesia cum S.  
 Augustino tom. 9. in Man. c. 22. in omni-  
 bus adversitatibus non invenio tam effi-  
 cax remedium quam vulnera Christi. In  
 il-

illis dormio securus & requiesco intrepidus; Nihil tam amarum, quod morte Christi non sanetur. Tota spes mea est in morte Domini mei. Inter brachia Salvatoris mei & vivere volo & mori cupio. Moriatur ergo in me amor mundi immundi, in quo de amore erga Deum & proximum, candore, dexteritate, & fide, quâ sublatâ, ut vere Aristoteles ἀνθρώπων ἢ πρὸς ἀλλήλους φιλία τῶν ἀγαθῶν, adeo conclamatum est, ut nec vola nec vestigium supersit. Sane in hujus mundi voluptatibus atatem consumentes similes mihi videntur latronibus, qui per amœnissima & odorifera loca deducuntur ad locum supplicii.

Quæ cum ita sint, instante fatali horâ animam meam cum incomparabili Poëta, & Historico Henrico Meibomio in Poemat. sacr. potius allocuturus sum.

Gaude Anima ô mea, sed jam non mea,  
tradita Christo

Sanguine cujus perfusa cruore rubescis  
Letare in Domino, nova gaudia concipe mente.

Egre-

Egredere è Sodoma, neque retro lumina  
torque.

Littus adi, atq; animosa vado te crede so-  
nanti.

Desuper eni cœlum magno se pandit hiatu,  
Eternasq; domos reserat, nunc auspice  
Christo.

Difficilis sit ardat agon, si finis amarus,  
Perfer & obdura, momentum restat a-  
genti

Speq; Deus citius te vinclis eximet illis.  
Debita maturè prestat sua solvere; pen-  
sum

Conficere; infecti quàm ferre diutius ævi  
Invidiam, tristesq; minas fastumq; super-  
bum.

Non letho occumbes, sed victrix mortis  
adibis

Viva Deum, laudesq; ejus narrabis &  
acta.

F I N I S.



111

111

111

111

111

111

111

111

111

111

111

111

111

111

111

111

111

111

111

111

111

111

111





JACOBI AN-  
DREÆ CRUSIIJC.

NOTÆ

NOMICO-HISTORICÆ

IN

SACROSANCTAM DOMINICAM

PASSIONEM à S. Johanne

EVANGEL. CAP. XVII.

ET XIX. DESCRIPTAM.




NOMICO BIBLIORAM  
IMPERIALI  
2. Johannes Evangelium

AC CUM DISTINXIT  
IN LIBROS  
CUM DISTINXIT  
CUM DISTINXIT  
CUM DISTINXIT  
CUM DISTINXIT  
CUM DISTINXIT



non procul ab Hierosolymis versus  
ridicem suo originem ducens & per  
lem Josephat, quae exiit vallis Cedron  
dicebantur, de qua scriptum est  
& senectute sua, cum periret vallis  
profunditate, per quam ducitur  
eum propter inopiam, quae in  
abundantia sua, cum inopiam  
et inopiam, quae in inopiam  
et inopiam, quae in inopiam





NOTÆ  
NOMICO-HISTORICÆ.

*Ad CAP. XVIII.*

S. Johannes Evang.



Æc cum dixisset  
JESUS, egressus est  
cum discipulis suis  
trans Torrentem  
Cedron ) Torrens  
Cedron ex monte

non procul ab Hierosolyma versus me-  
ridiem sito originem ducens, & per Val-  
lem Josaphat, quæ etiam vallis Cedron  
dicebatur, decurrens obscurus, niger,  
& tenebrosus erat, tum propter vallis  
profunditatem, per quam decurrebat,  
tum propter arborum copiam, quibus  
obumbratus erat, tum propter sordes  
ex montibus & urbe in illum profluen-  
tes, loca circa hunc torrentem hodie-  
num.

num esse amœnissima, deliciis plena, viridariis & hortis confita, irrigante ea torrente testatur *Bocardus terra sancta avróπης. Conf. Christophor. Führer von Heimbisdorf in itinerar. ad terr. sanct. p. 226.* Transitum hunc Redemptoris per torrentem subitam & citò defluentem denotare tribulationem, ait Simon de Cassia.

Judas ergo cum accepisset cohortem.) Fuit hæc cohors prætoriam, cujusmodi habebant Præsides provinciarum apud Romanos. Sane Josephus *lib. 6. c. 6. & lib. 2. cap. 8. de bello Judaico* testatur conveniente multitudine ad diem festum Azymorum in Hierosolymam, stetisse Romanam cohortem super porcum templi ad compescendos motus populi, & impediendam seditionem, ut adeo vero simile sit Pontifices, & Phariseos eo prætextu, quod JESUS seditionis anthor esset à Pilato Præside cohortem petiisse & impetrasse, unde quoque colligere licet, quod Judæorum potestas politica hoc tempore valde restricta fuerit.

Ve-



Venit illuc cum laternis, & facibus, & armis.) Sempiternus dies, ait Augustinus tract. 112. in Job ita membris occultabatur humanis, ut laternis ac facibus quæreretur occidendus à tenebris. Equidem quam timida & negotiosa res sit impietas vel ex hoc loco colligere licet. Salvator inermis & coram mundo miserrimus ac derelictus apparebat, nihilominus tanto apparatu captivus abducitur à Pontificibus & Phariseis, scilicet hæc latronum conditio est, ut soli non audeant prædam quærere, juxta *Pined. c. 24 v. 5. tom. 2. in Job.*

Simon ergo Petrus habens gladium.) *Theophylact. & Chrysof. in Matth. c. 16. & Tolet. in Johan. c. 18.* existimant gladium illum fuisse cultrum ad sectionem agni Paschalis à Judæis adhibitum, quam opinionem secuti sunt Veneti ostendentes peregrinantibus Petri gladium in specie majoris cultelli. Parisiis verò demonstratur, uti ensis militaris, Romæ ostenditur idem una cum catenis, quibus Petrus solutus ab Angelo

gelo liber evasit, observante Cornelio à Lapide in Matth. c. 26. p. 499.

Et adduxerunt eum ad Annam primum erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius.) Cur non potius ad Kaipham tunc temporis primas in statu Ecclesiastico obtinentem deductus? Rejectis variis Theologorum circa hunc locum opinionibus, placet sententia statuentium scilicet omnes eos, qui aliquando Pontificatum gessissent, licet deinde abrogati fuissent, prout Hannas, Pontifices nihilominus vocatos fuisse, ut qui ex veteri & fortean receptâ consuetudine dignitatem semel susceptam usque ad mortem retinere debuerint. Alii existimant Hannam & Caipham per vices summum Pontificatum gessisse, quorum opinionem in medio relinquimus. Vid. Isaac. Casaubon, *Exercit.* 13, ad *Ann. Baronii* p. 241. Cornel. à Lapide in *Act. Apostol. c. 4. v. 6.* Hugon. Grot. *Comm. in Luc. 3. v. 2.* & Georg. Calixt. *Concord. Evang. lib. 2. cap. 1. p. m. 69.* aliosque.  
Dedu-



Deductus igitur Christus procul dubio ad Hannam primo loco ideo fuit, quod is ipse Pontificatum summum gessisset, & filium Pontificem vidisset, & nunc quoque generum in eodem summi honoris gradu collocatum videret.

— Erat autem Caiphas.) Josephus Caiphas ab anno Tiberii 15. Per. Jul. 4741. usque ad annum Tiberii 22. per Jul. 4748 exclusivè sacerdotio functus fuit, prout non obscure colligere licet è Josepho, testatur enim is *lib. 18. Antiquit. c. 3.* Valerium Gratum post annorum 11. procurationem, constituisse summum Pontificem Caipham; quem ad Vitellii adventum in Syriam perseverasse in eâ dignitate Idem est auctor, at L. Vitellium Consulem fuisse cum Paulo Fabio Prisco, anno Tiberii XX Christi XXXV. refert Joannes Caspinianus *in Comm. in Consules Aurelii Cassiodori.* Sethus Calvisius & Christophorus Helvicus tamen hoc Consulatum par ad ann. Christi 34. collocant. Idem Vitellius statim à consulatu missus in Syriam,

riam, Jerofolymam veniens, Caipham  
destituit, & teste Josepho ejus loco Jo-  
natham Annæ F. constituit. Vid. Illu-  
str. Scaliger. *Proleg. in Euseb. & Isaac.*  
*Casaubon. Exercit. 13. in Annales Ba-*  
*ronii p. 241.*

Sequebatur autem Jesum Simon Pe-  
trus, & alius discipulus.) Quis fuerit ille  
ἀλλομαθητὴς Petri comes disqui-  
runt sancti patres. Chrysostronus, Cy-  
rillus, Theophylactus aliiq; existimant  
fuisse Apostolum Johannem, tum quod  
Johannes hac periphrasi se ipsum signi-  
ficare soleat. Joh. 20. v. 2. 3. 4. cum  
quod tam exactè describat, quâ occasio-  
ne Petrus in atrium Pontificis intro-  
ductus fuerit.

Discipulus autem ille erat notus Pon-  
tifici.) Notitiæ familiaris inter Pon-  
tificem & discipulum istum variæ à Pa-  
tribus afferuntur causæ, generis nobi-  
litate causam fuisse statuit Hierony-  
mus, aliam Nicephorus, aliam deniq;  
eamq; ridiculam, quod scilicet Pontifi-  
ci pisces vendere solitus fuerit Lyranus  
addu-

adducit. Vid. Chrysoftom. homil. 83:  
in Johann. & ex recentioribus Gerhar-  
dum in Harmon. Evangelist. c. 186.

Numquid & tu ex discipulis es homi-  
nis istius? Dicit ille; Non sum.) Ex-  
cusare hoc loco Petri lapsum tentarunt  
illa primitivæ Ecclesiæ lumina S. Am-  
brosius & Hilarius, & ex recentioribus  
non pauci, sed contrarium evincunt  
expresſa SS. Evangelistarum verba, e-  
vincunt reliquæ circumſtantiæ, abne-  
gavit Petrus non modo Christi doctri-  
nam, quem filium DEI antea norat.  
Matth. 16. v. 16. sed & Christi perso-  
nam, quinimo Christi regnum. Non  
convenit porro hoc Petri factum cum  
verbis Christi *Matth. 10. v. 32.* qui me  
confessus fuerit coram hominibus &  
illum confitebor coram patre meo, nec  
cum verbis *Apocalypſewsc 2. v. 11.* esto  
fidelis usque ad mortem.

Erat autem cum eis & Petrus stans.)  
*Matth. c. 26. v. 69.* sedisse scribit Pe-  
trum, Cornel. à Lapide *ad d. Matth.*  
locum | ait Petrum modo sedisse  
F modo

modo stetit ad rogam ignis, alioquin stare in lingua Orientali, eodem observante, significat presentem esse, sive stet, sive sedeat praesens. Quod porro *S. Matth. d. c. 26. v. 69.* scribit Petrum foris in atrio sedisse non repugnat *S. Johanni v. precedenti 16.* asserenti Petrum introductum. Resp. enim Petrum fuisse foris non respectu ostii domus Caiphæ, sed respectu aulae interioris, in qua Salvator examinabatur à Concilio; erat ergo intra domum, quia erat in atrio exteriori, & interim foris respectu aulae interioris. Vid. Parentem meum dilectissimum Christophor. Crusium *de passione JESU Christi Filii Dei c. 4. sect. 4. n. 59.*

Et calefaciens se.) Nox quippe media instabat, (quam intempestam. Varro *l. 6. de L. L. Plin. Junior l. 7. ep. 6. & Petron. Arbiter in Satyr.* Silentium noctis appellant,) quæ tempore æstivali solet esse frigida, etiam in plagis terræ æstuantissimis, ut Erasmus loquitur.

Pontifex ergo interrogavit Jesum.)  
Pa-

Patet ex hisce perversus & inordinatus  
 modus procedendi à Judicio judaico  
 observatus, ubi statim non præceden-  
 tibus legitimis indiciis proceditur ad  
 capturam & examen captivi Redem-  
 ptoris, non existente (1.) legitimo ac-  
 cusatore, & licet processum inquisito-  
 rium institutum dixeris, (2.) indicia ne  
 quidem ad capturam sufficientia sese  
 offerebant, quinimo fama & vita benè  
 acta, (3.) si quæ indicia aderant elide-  
 bat, unde ne quidem ad ulteriorem in-  
 quisionem procedendum fuisset ex-  
 emplo Lacedæmoniorum, quorum hâc  
 in parte judicandi gravitatem com-  
 mendat Thucydides *lib. I. de Bell. Pello-  
 pon.* cujus verba in Pausania ita transtu-  
 lit Nepos: Quod harum rerum nullum  
 erat apertum crimen, quo argui posset,  
 non putabant de tali tamque claro viro  
 suspicionibus oportere judicari, præte-  
 rea (4.) ex officio communicanda fuif-  
 sent indicia, constituendus (5.) accusa-  
 tor publicus, quem Fiscalem appolla-  
 mus (6.) proponenda accusatio decen-  
 ter,

ter, quod rectè Pilatus adducto ad ipsum  
 Christo observavit *infra v. 29. ibi.*  
 Quam accusationem affertis adversus  
 hominem hunc? Porro (7.) accusatus  
 legitimè audiendus erat, admittendi  
 quoq; (8.) ejusdem defensionales, re-  
 quirebantur præterea (9.) in causâ hâc  
 gravissimâ prout in causis criminalibus  
 jura exigunt probationes luce meridia-  
 nâ clariores, procedendum erat (10)  
 lento gradu & provide propter gravita-  
 tem causæ & periculum capitale, Cæsa-  
 re enim apud Amm. Marcell. *lib. 26.* di-  
 cente, de vita & spiritu hominis latu-  
 rum sententiam diu multumque cun-  
 ctari oportet, nec præcipiti studio, ubi  
 irrevocabile factum est agitari, unde  
 Juvenalis *Satyr. 6.* Nulla unquam de  
 morte hominis cunctatio tarda est &  
 Cassiodorus *lib. 7. Ep. 1.* Cunctator es-  
 se debet, qui judicat de salute: Hinc ve-  
 teres nunquam tardum existimarunt,  
 quod est ultimum Valer. Max. *lib. 8. c. 1.*  
 A. Gell. *Noct. attic. lib. 12. c. 7.* eâ de  
 causa Theodosius Imp. 30. dies à die la-  
 tæ

tæ sententiæ constituit, intra quos sententia capitalis executioni non mandaretur in *l. 20. C. de pen.* Judicium ipsum quoque (11.) non nocte sed die clarâ habendum fuisset, observato (12.) ordine judiciario. Cæterum (13.) Pontifices & Pharisæi, utpote hostes infensissimi Christi, non poterant judicandi potestatem arripere, cum inimicitia & ira judicis vulneret justitiam juxta Zasium in *l. continuus §. cum ita n. 3. D. de V. O.* quinimo (14.) testes contra Christum producti non erant juratò recepti, præterea (15.) pretio & pecuniâ corrupti & ad testificandum prorsus inhabiles, demus potuisse eosdem ad dicendum testimonium admitti, attamen erant (16.) testes singulares, quorum testimonium singulare & jure Romano improbatum erat, & præterea non admittebat lex Hebræa *Deut. 19. v. 15.* & licet δύο ψευδομάρτυρες assererent Jesum dixisse, se destrure posse templum DEI & post triduum reædificare, non erant (17.) teste Marco ἰσαὶ αἱ μαρτυρίαι

præterea [18.] nihil mali Templo omninabatur, etiam qui demoliturum se diceret, si & restitutum se ad dat, quamvis [19.] verba eorum adhuc ambigua erant, nec enim Christus de ædificio & fabricâ templi, sed de templo corporis sui concionatus erat, deniq; [20.] quid absurdus, quam in causâ criminali ex domo rei petere probationes, quod tamen fecit Princeps sacerdotum vir proculdubio sagacissimus, dum ex ore Restauratoris generis humani quæsit a liquid elicere, ut eo magis verò ipsum constringeret ad dicendam veritatem, adhibuit ὄρκισμὸν Judicibus ut aut testibus testimonium aut reis confessionem exprimerent, apud Judæos receptum, ἐξορκίσειν enim aut ὄρκίσειν erat gravi obtestatione per nomen divinum religionem alicujus animo injicere, quod Latini dixerunt obsecrare, prout *Nam. 5. v. 19. Jos. 7. v. 26. 1. Samuel. 14. v. 27. 1. Reg. 2. v. 43. Cant. 5. v. 9.* atqui hunc sensum huic loco proprium esset observat Grotius.

De



De discipulis suis & de doctrina ejus.]  
 Jure Romano quoq; ex mandatis Prin-  
 cipum rei interrogabantur de sociis. l. 6.  
 D. de custod. & exhibit. reorum.

Hæc autem cum dixisset, unus assi-  
 stens ministrorum dedit alapam [JESU.]  
 Flagitium execrabile & seviore ani-  
 madversione dignum inconspectu Ju-  
 dicis coram tribunali loco sacro & sum-  
 mè privilegiato ejusmodi exercere in-  
 solentiam, quæ injuria tanto atrocior  
 est, quod servus vilissimus manum in-  
 tulerit illi, quem sciebant omnes do-  
 cuisse in templo, in Synagogis Judæo-  
 rum, qui etiam non vulgaris erat exi-  
 stimationis, cujus miracula in horto  
 Gethsemane, vulneratum servum inco-  
 lunitati restitutum, & quomodo uni-  
 co verbo prostrata erat turba ibidem  
 procul dubio viderat, qui autem homi-  
 nem ejusmodi authoritatis nec non sa-  
 cri ordinis etiam extra locum sacrum  
 & publicum cædit, eum pœnam ultimi  
 supplicii incidere, tradunt Dd. *in l. 10. C.  
 de Episc. & cleric. & sane pœnâ gravio-*

re efficiendos esse etiam plebeios viros dignitate seculari præditos, ut Doctores, Magistros, Prætores, Advocatos cædentes manu patet extraditis Menochii 2. *arbitr. quest. 3. cas. 363.* Ruini *consil. 81. n. 6. vol. 4.* Ludovic. Carrer. *in pract. crim. p. 243.* cæsores amputatione manus, quâ facinus admisit, plectendum esse statuit. Rebuffus *in tract. Concordia inter Leonem 10. Pap. & Francisc. Reg Gallie p. m. 109.* cæsores Advocatorum Regionum in Franciâ ultimo supplicio affectos tradit. Vid. parentem dilectissimum Christophorum Crusium *de pass. & resurrect. JESU CHRISTI Filii DEI c. 4. sect. 2. n. 17.* Conf. tradita à me *in tract. meo de præeminentia, sessione, præcedentia, & universo jure Opodspias Magnatum in Europâ lib. 3. c. 32. n. 44.* ubi notavi injuriam commissam contra Doctorem effici graviolem, & puniri lege Juliâ de vi publicâ juxta adductos ibidem Guid. Papæ *decis. 88. n. 5.* Hier. à Laurent. *decis. Avenion. 58. n. 4.* & Nolden *in Synopt.*

*nopt. tract. de stat. Nobil. civili c. 5. n. 150.*  
 Sane in judiciis inauditum, reum mul-  
 tominus nondum convictum in loco  
 iudicii publico alapis excipere, neq; de-  
 fensionem ac responfionem ejusdem  
 qualem qualem admittere.

Iterum ergo negavit Petrus. ] Non  
 unâ abnegatione contentus, idem pec-  
 catum reiterare non erubescit, per de-  
 lictum autem ejusmodi reiteratum &  
 repetitum de jure nostro Romano præ-  
 sumitur animus deliberatus & proere-  
 fis delinquendi *arg. Novell. 134. c. 6.*  
*Thom. Grammat. consil crimin. 8. n. 26.*  
*Marsil. singul. 378.* unde delictum regu-  
 lariter non capitale propter solam rei-  
 terationem capitaliter puniri poterit,  
 per text. *in l. 1. ibi perseveret C. de super-  
 exaction. lib. 10.* ubi Joann. de Platea,  
 Angelus, & Lucas de Penna. *Farinaç.*  
*consil. crimin. 60. n. 23. lib. 1.*

Et statim gallus cantavit. ) An vero-  
 simile Judæos tempore passionis domi-  
 nicæ destitutos horologiis, secundum  
 gallicinium, instar Veterum, apud quos

vicem horologii implevisse gallorum  
 cantum testatur Plinius *lib. 10. N. H.*  
*c. 21.* distribuisse tempus nocturnum?  
 non dixerim equidem, quin potius  
 clypsydras apud eos, quippe tum tem-  
 poris etiam apud Romanos receptas, in  
 usu fuisse verosimile videtur, sane ut  
 obiter id addamus notatu dignum,  
 quod circa gallicinium maleficia dissi-  
 pentur, ac conventus & conciliabula  
 maleficorum sagarumve dissolvantur,  
 adeo ut gallo canente nihil amplius  
 agere hâc noctis tempestate possint,  
 prout plerâq; sagæ hoc in loco ultimo  
 supplicio affectæ, confessæ fuere, neq;  
 pueri ejusdem delicti rei diffiteri pote-  
 rant, quod ipsum quoq; à Nicolao Re-  
 migio Ducis Lotharingæ quondam  
 Consiliario *lib. 1. Demonolatriæ c. 14.*  
*p. 107.* observatum legi. Sane tene-  
 brionibus illis galli cantum cum Marti-  
 no Delrio Societatis JESU presbytero  
 doctissimo *Disquisit. Magicar. lib. 6. c.*  
*2. sect. 1. quest. 1.* infectum putarim pro-  
 pter mysterium aliquod ipsis odiosum.

An

An quia diei prænuncius ales ad Dei laudem homines excitat, multa que peccatorum genera, quæ obscuro suo populo nox obtexerat, solari lampade dispelluntur? an quia dominicâ resurrectione, quæ post noctis medium contigit, commemorat se triumphatum colifsumve esse? An meminit pœnitentiæ Petri Apostoli ad galli cantum, ut lapsus prædictus fuerat inchoatæ & electissimi sibi boli sic erepti? Equidem has ipsas rationes reddunt S. Ambrosius *in laudib. diei. Domin.* & Prudentius *in Hymno ad Galli cantum*, ibi

Ferunt vaganteis dæmones  
 Lætos tenebris noctium,  
 Gallo canente exterritos  
 Sparsim timere & cedere.

Vid. quæ latè diximus hâc de re *in tr. nostro de Nocte*, & nocturnis officiis tam sacris quàm prophanis c. 3. n. 35. 36. & seqq. Philosophi alioquin confugiunt heic ad dissidium naturale galli gallinatcei cum leone. Vid. Plin. l. 18. *N. H. c.* 16. Lucret. l. 4. Ælian. l. 11. *de hist. animal.*

*mal.* aut frustra iudicio Delrii, quia diabolus duntaxat metaphoricus est leo, Proclus *in libello De Magia tradit* dæmones leonina fronte apparentes objecto evanescere gallo quod major vis solaris virtutis gallo infusa fit, utpote quem cantu quasi applaudere surgenti soli, ejusq; jubar advocare constat, quàm leoni, aut in eodem ordine, constituta, quæ inferiora sunt, superiora semper vereri notissimum esse. Confer. Johannem Pierrum *in incomparabili opere Hieroglyphicorum lib. 1. p. m. 10 & lib. 24. p. m. 173.* ubi de Petro abnegante agens, gallo multò ante lucem canente, ait, aberrans resipiscit Petrus, & ut Ambrosius ait, expergefactus facti culpam incessit sui, amaroq; fletu crimen rebellionis expurgat.

Erat autem mane.) Magistratus Romani statim diluculo facto jus dicebant teste Juvenali, quod & ipsi Impp. Romani fecere, Vid. Svet. in Augusto c. 33.

Exivit ergo Pilatus ad eos foras.) Pontium Pilatum hunc passionis Christi  
tem-

tempore Palæstinæ Præsidem fuisse non tantum in sacris Evangelistarum scriptis continetur, sed & hostes veritatis Christianæ, Cornelius Tacitus & Flavius Josephus testantur Ille lib. 15. *Annal. ibi. Auctor nominis Christianorum Christus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Hic Antiquitat. lib. 18. c. 4. luculentissimum de Christo perhibet testimonium sequentibus verbis. Eodem (scilicet Pilati) tempore fuit Jesus vir sapiens, si tamen Virum cum fas est dicere. Erat enim mirabilium operum patrator & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt, plurimosq; tam de Judeis, quàm de Grecis sectatores habuit. Christus hic erat, quem accusatum à nostra gentis Principibus Pilatus cum ad dixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio ceperunt. Apparuit autem eis tertiâ die vivus, ita, ut divinitus de eo vates hoc & alia multa miranda prædixerant & usq; in hodiernum diem Christianorum genus ab hoc dena-*

denominatum non deficit, alioquin Pontium Pilatum Judææ præfuisse ab Anno Per. Jul. 4740. usque in Annum 4750. non obscure colligere licet ex supralaudato Josepho lib 18. *Antiquit. Jud. c. 5. ibi Vitellius Marcellô amico ad Procuraturam Judææ misso Pilatum jussit Romam proficisci, responsurum apud Casarem ad objecta per Judæos crimina. Ita ille decem annis exactis in suâ provinciâ, quam necesse haberet parere Vitellio ad urbem iter suscepit, quo prius, quam perveniret, vitâ excessit Tiberius. Ast testantur Dio lib. 58. Cornelius Tacitus lib. 6. *Annal.* & Svetonius in vitâ Tiberii, Tiberium obiisse anno V. C. 790. Imperii anno 23. Cn. Acerronio Proculo & C. Pontio Nigrino Co ss. hoc est anno P. Jul. 4750. Christi 37. si itaq; decem anni retro numerentur, apparebit initium præfecturæ Pilati.*

Et dixit : *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? )* Pilatus utpote juris Romani peritissimus non ignorans accusationem interrogationem



tionem & cognitionem præcedere debere, rectè prius disquirat de accusatione ipsâ. Est enim juxta Principem Eloquentiæ Tullium *in Orat. pro Cluentio*, sapientis judicis animadvertere, quâ legeres citetur, de quo reo cognoscat, quæ res in cognitione versetur, quæ omnia satis curiosè observavit Pilatus.

Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum.) Romani devictis regionibus, provinciis, insulis maris, ac civitatibus suas peculiare leges, consuetudines & privilegia relinquebant, quibus exconcessione Imp. utebantur, operam dantes, ut strictè observarentur. Vid. *l. 71. in fin. D. de contrab. empt. l. 21. D. de Reb. auct. jud. possidend. § l. ἀξιόσις 9. D. de L. Rhodia de jactu Plin. lib. 10. Ep. 57. Pausan. lib. 4. ubi tradit Trajanum Cæsarem Mothonæis concessisse ut cum liberis populis censerentur, & suis legibus uterentur, ita Julium Cæsarem primum Hircano Pontifici Judæorum concessisse, ut si qua contro-*

ver.

versia oriretur de Judaicâ disciplinâ, judicium penes ipsum esset. Vid. notata hæc de re à me in *Comment. hist. philolog. jurid. ad l. famosam* Ἀξιώσις 9. *D. de L. Rhodia de jactu c. 8. n. 11.* eodem modo etiam Pilati temporibus Judæos secundum leges suas judicasse per est verosimile, Nec enim Pilatus dixisset: Accipite eum vos & secundum legem vestram judicate, nisi & Judæi secundum legem suam judicare ac punire potuissent.

Dixerunt ergo ei Judæi: Nobis non licet interficere quenquam.) Scilicet eo Judaicis legibus incognito & gentilibus tantum præsertim Persis Joseph. l. 11. c. 6. & postmodum Romanis usu receptissimo crucis supplicio, quod supplicii genus Romani præprimis servis irrogabant, unde servile supplicium vocant Tacitus *lib. 2. § 4. histor.* Capitolinus in *vitâ Macrini*, non verò liberis, exceptis seditiosis, latronibus fugitivis, atq; illis, qui populum adversus magistratum concitabant. l. 38. §. 2. *D. de*

de pen. l. 2. C. de seditios. Flor. lib. 3. c. 19.  
 Valer. Max. lib. 2. c. 7. Cicer. in Orat.  
 pro Deiotaro, prolixè Baronius notis ad  
 Martyrologium Romanum p. 155. & 156.  
 Marcellus Donatus. Elucidat. ad Tacitum  
 p. 202. & seqq. & ex Jctis nostris  
 Petrus Faber lib. 2. Semestr. c. 8. hinc  
 Paulus noster l. 4. sentent. tit. 22. Au-  
 thores seditionis & tumultus concita-  
 to populo, pro qualitate dignitatis aut  
 in crucem tolluntur, aut bestiis subji-  
 untur, ast verò cum Christus á Judæis  
 inter alia ut seditiosus, ut turbas con-  
 citans, & prohibens dare tributa Cæsari  
 accusatus fuerit, & ejusmodi rei cru-  
 cis supplicio more Romanis recepto af-  
 fecti, ut Christus eodem modo in cru-  
 cem tolleretur in subsequentiibus pete-  
 bant. Vid. Just. Lipsium l. 1. de Cruce  
 c. 14. & Isaac. Casaubon. Exercit. 16. ad  
 App. Baronii A. 34. n. 92. t. 77. Por-  
 ro non placet sententia argumento ho-  
 rum verborum, asserentium, Judæis  
 tempore Christi non competiisse me-  
 rum imperium, licuit enim iisdem se-  
 cundum

cundum leges patrias ad religionem pertinentes aliquem interficere : ita lapidatio etiam sub Romanorum jugo adversus blasphemos recepta, probatur id exemplo Stephani martyris, quinimo Titus apud Josephum *lib. 7. de bello judaico c. 4.* Judæis inter alia concessum fuisse refert, ut possent eum, qui septa templi transiret, licet Romanum, impune occidere, quod jam à temporibus Tiberii ad tempora usque Titi concessum fuerat.

Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocavit Jesum, & dixit ei : Tu es Rex Judæorum, ) Post accusationem à Pontificibus & Judæis factam, Pilatus juxta morem apud Romanos receptum procedit ad examen accusati Redemptoris, ac mediante interrogatione conatur ex ore ejusdem aliquid elicere, quo ipso constringere possit Restauratorem generis humani, & ejusdem confessionem exprimere. Sane ejusmodi modus procedendi etiam in criminalibus receptus, ubi ad  
in-

interrogatoria sive articulos inquisitionales rei respondere tenentur, quos articulos non affirmativè, nisi notorium sit delictum, sed in modum interrogationis esse formandos rectè statuit Germaniæ nostræ Papinianus D. Brunnemannus *in tract. de inquisitione seu processu informativo c. 8. n. 34. p. 68. § 69.* quem modum in Processu inquisitorio semper non sine maximâ utilitate observavi, & per rationes Nobilissimi prælaudati Brunnemanni observandum svadeo, sane si praxin Italarum, qui hujus artis peritissimi, attendamus, non solent, nisi per modum interrogationis articulos suos proponere, prout ex Scaccia, Follerio Tranquill. Ambrosino, aliisq; patet.

Respondit J E S U S ; Regnum meum non est de hoc mundo. ) Per distinctionem heic Christus sese explicat, & æquivocationem Judæorum tacitè coarguit, accusatus enim erat tanquam reus læsæ majestatis, utpote qui pro Rege sese vendicaret, hisce calumniis ut  
 occur-

occurreret, profiteretur Redemptor noster regnum suum non esse de hoc mundo, quo ipso simul refutare voluit Salvator communem innatam Judæorum opinionem, qui existimabant, quod Messias quando venerit regnum Davidis esset restauraturus, & populum Judaicum in libertatem pristinam ac regnum adferturus, quæ opinio falsa, seditionum & cladum multarum inter Judæos & Romanos causam præbuit, observante parente dilectissimo Dn. Christophoro Crusio *Jcto in tr. de pass. Christi c. 6. sect. 3. n. 41.*

Ut testimonium perhibeam veritati.)  
 Speciatim heic intelligendam esse puram veritatem DEI seu DEO, ut vocatur à S. Paulo *ad Romanos* 1. v. 25. 3. v. 7. 15. v. 8. quomodo & ab eodem Apostolo dicitur sapientia quæ est ex Domino: veritas Christi *2. Corinth.* 11. v. 10. veritas Evangelii *ad Galatas* c. 2. v. 5. & 14. *ad Coloss.* 1. v. 5. & Evangelium salutis, quod dicitur λόγος τῆς εὐαγγελίας τῆς εὐαγγελίας *1. ad Ephes.* 13.  
 1. ad

1. *ad Coloss.* 5. 2. *ad Timoth.* 2. v. 1. hinc istud Pauli 1. *ad Timoth.* cap. 3. v. 15. ἐκκλησία θεῶν ζῶντων, φύλα καὶ εἰσραϊώματα τῆς ἀληθείας. explicantes Chrysoftomus & Clemens Alexandrinus verum DEI cultum veramque religionem interpretantur. Ille *homil.* 7. *in c. 2. Epist. Pauli ad Timoth.* Hic *lib.* 7. *Stromat* p. 542.

Dicit ei Pilatus; Quid est veritas?) Inepta videtur hæc ad datam præcedentem responsionem Redemptoris interrogatio, alioquin Veritatem apud Gentiles quandoq; religione Numinis instar habitam cultamque fuisse constat, quinimo Philosophi Deum veritatem dixerunt, vide vel Simplicium *in Epicteti dissert.* c. 47. Apud Stobæum ἀλαθεία θεῶν ὁμόπολις est, quam iidem gentiles & inter eos Hippocrates & Philostratus Jovis temporisque (quia dies veritatem aperit) filiam dixerunt. In Ægypto certè Veritas, proximè saltem ad Numina habitata. Hinc illud, quod Diodorus siculus narrat *lib. 1. pag.*

31. 48. de supremo Judice seu Magistratu, ἀρχιδικαστῆς qui habebat ζῶδιον τῆς ἀληθείας, seu τὴν ἀλήθειαν ἐξηρητημένην ἐκ τῆς τραχίλης, simulacrum veritatis seu veritatem suspensam in collo: quare indicatum, ἀρχιδικαστῆν ὡρὸς μόνην βλέπειν τὴν ἀλήθειαν, supremum Judicem ad solam veritatem respicere debere. Idem Pilatus de veritate disquirens ponderare, neque Redemptorem innocentissimum ad solam delationem Pontificum & clamorem vulgi condemnare debuisset.

Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha.) Originem hujus consuetudinis ac moris derivant alii à liberatione Jonathæ Saulus filii I. Reg. 14. quem patris sententiâ morti addictum populus suâ intercessione liberavit ab interitu, quæ sententia placuit Origeni & Theophylacto, incomparabilis Grotius aliiq; recentiores putant morem hunc non a deo veterem fuisse, nec à Judæis, verum à



âRomanis originem ejusdem deducen-  
dam, aliis, quorum sententiæ meum ad-  
jicio calculum, verosimile videtur, e-  
jusmodi dimissione facinorosi alicujus  
in festo Paschatos usu recepta, in me-  
moriâ sibi revocare voluisse Judæos  
liberationem majorum suorum ex diu-  
turnâ servitute Ægyptiacâ. Cæterum  
an hæc consuetudo apud Judæos usita-  
ta, rationalis fuerit? meritò dubites.  
Imperator enim & Princeps, quatenus  
legum divinarum, moralium, & in ipsâ  
naturâ fundatarum custos & executor  
existit, pænarum jure divino certis de-  
lictis, in specie homicidio definitè præ-  
stitutarum dispensationem prorsus  
nullam habet, prout constat extraditis  
*Heigii part. 2. qu. 24. n. 30. Carpz. Pract.  
Crim. part. 3. qu. 150. n. 29. cum seqq.  
aliorumq.* Conf. Philipp. Knipschildt *de  
jur. Civit. Imper. lib. 2. c. 27. n. 19.* Sa-  
ne Principem illi, qui homicidium de-  
liberato animo commisit, gratiam &  
liberationem facere non posse, etiam si  
publica utilitas id ipsum svaderet, latè  
tra-

tradit Prosper Farinacius *quest. Crim.*  
*6. n. 5. cum seq.* Atque ob has alias vera-  
 tiones consuetudinem hanc dimittendi  
 facinorosum in festo Paschatos ad  
 petitionem Judæorum receptam, uti  
 irrationabilem damnant & improbant  
 eruditi. Porro ex prædictis patet, cir-  
 ca tempus passionis Christi populo Ju-  
 daico jus aggratiandi non competiisse,  
 quod Imperator Romanus, uti superior  
 sibi privativè vindicavit, tanquam cha-  
 racterem & symbolum Regiæ præemi-  
 nentiæ, jus enim hoc aggratiandi Rega-  
 libus. Vid. Jacob. Menoch. *de A. J. Q.*  
*lib. 1. qv. 69.* & Thom. Metzger. *Consil.*  
*crim. 13.* juribusque Majestatis annu-  
 merari, testantur Andr. Knichen *de*  
*Sax. non provoc. jur. verb. Ducum c. 5. n.*  
*523.* Benedict. Carpzovius *Pract. crim.*  
*part. 3. qv. 150. n. 51.* & Christoph. Be-  
 sold. *consil. 238. n. 33.* Conf. Octavian.  
 Cacheran. *decis. Pedem. 101. per tot.* &  
 Anton. Tessaur. *decis. Pedem. 21. in pr.*  
 Clamaverunt ergo rursus omnes, di-  
 centes, Non hunc sed Barrabam. Erat  
 autem

autem Barrabas latro.) Quod hunc famosum latronem Barrabam, quem Judæi innocentissimi Redemptoris sanguinem sitientes, præ illo dimissum cupiunt, attinet, verosimile est eundem ex Mesopotamia aut Syria oriundum fuisse, cum nomen ejusmodi, aut simile gentibus illis, observante eximio Jcto & Critico Jacobo Gothofredo *in dissertat. eruditâ ad l si Barsatoram* 13. C de *fidejussor.* proprium fuerit: quod similia ibidem passim nomina ostendunt, in quibus omnibus Bar filium significat, ita Barzaphoras apud Josephum l. 14. *Antiquit. c. 23. & de bello Judaico l. 1. c. 11.* Barzimeres apud *Ammianum Marcellinum lib. 30.* Barchalba apud *eundem lib. 31.* Barchochebas Hadriani tempore, de quo Thalmudici scriptores *titulo de Synedrio cap. Helec 26.* Justinus martyr *Apol. 2.* Eusebius l. 4. *hist. Eccl. c. 6.* qui ita à Cocheba vico Galileæ: ex eventu verò filius mendacii dictus. Similis est & Bargioras sub Tito, de quo Tacitus l. 5. *histor. c. 12.* & Josephus de bello

G

*bello Judaico*. Barfemius, de quo Herod-  
dianus *lib. 3.* & Barfatora, latro ille pro-  
culdubio famosus, cujus mentio facta  
*in prelaudatâ l. 13. C. de fidejussor.*

N O T Æ  
NOMICO-HISTORICÆ

Ad CAP. XIX.

S. Johannis Evang.

**H**unc ergo apprehendit Pi-  
latus Jesum, & flagellavit.)  
Castigatio, quæ fiebat flagel-  
lis, servorum erat apud Romanos. *l. 10.*  
*D. de pœn. l. sed est questionis 9. §. pen. ibi*  
*flagris rumpat D. de injur. l. ult. D. eod.*  
*l. 6. D. de accus. l. 4. §. 1. D. de incend.*  
*ruin. naufrag.* Id quod Lex Porcia (non  
Porcii Catonis, sed Porcii Læcæ. Vid.  
Ant. August. *de LL. in L. Porcia,*) sancit.  
Vid. Liv. *lib. 10. c. 9. Cic. pro Rabir. ibi An*  
*de civibus Romanis contra legem Porci-*  
*am verberatis aut necatis plura dicenda*  
*sunt?* & paulò post: *Porcia lex virgas*  
*ab omnium corpore amovit.* Sane flagel-  
la,

la, virgæ, lora vinculorum verberatio  
idem in usu cædendi valent, nam & fla-  
gella de virgis usurpabantur, & vincu-  
lorum verberatio eadem est, atque lo-  
rorum. Vid. Salmas. in *Lamprid. Sever.*  
p 231. Cædebantur autem vincti & nu-  
dati triumvirali iudicio, ad columnam  
Mæniam, eodem modo & Redemptor  
noster, qui pro peccatis generis huma-  
ni formam servi assumpsit, ad colum-  
nam ejusmodi vinctus & flagellatus fu-  
it. Hieronym. *Epist. ad Eustoch.* Osten-  
debatur Paulæ columna, Ecclesiæ por-  
ticum sustinens, infecta cruore Domi-  
ni, ad quam vinctus dicitur & flagella-  
tus, ita Prudentius

atq; columnæ

*Annexus tergum dedit ut servile flagellis.*

Equidem flagellandi Romano more fu-  
nibus adstringebantur ad bipedalem  
columnam, quæ ad stantium umbili-  
cum duntaxat pertingebat, ut tam pe-  
ctus quam tergum reorum verberibus  
undique pateret. In brevioris hujus  
columnæ summo ferreus annulus in-

missos accipiebat funes, quibus flagellandorum corpora vinciebantur, uti Drexelius ex antiquitate probavit *tom. 2. Del. Gen. hum. par. 2. c. 3. sect. 4. p. 476.* An & pendentes flagellati? Ita inuit Libanius Plautinus *Afin. 3. 2. ibi ut sepe causam dixeris pendens adversus octo valentes virgatores.* Ad flagra deducere Iuvenali *Satyr. 10.* est in servitutem redigere. *Torrent. ad sat. 3. lib. 1. Horatii p. 447.* Vid. illustre Academiae Ienenensis decus & eminentissima eruditionis ICrum Iohan. Strauchium in *Comment. de centum lapibus urbicariis ad §. 10. l. 1. D. de offic. Praefect. urb. n. 17.* ubi observat virgatores, qui Magistratui in provinciam eunti ministrabant, fuisse Brutios ex Festo & Agellio *10. N. A. 3.* qui hos in pœnam quod à Romanis defecissent, hâc ignominia notatos tradit. Vid. *Baron. ad Ann. 34. n. 82. & seqq.* Hieronym. in *Matth. c. 27.* refert causam, cur flagellis cædi iusserit Christum Pilatus hanc fuisse, quoniam legibus Romanis sancitum fuerit,

rit, ut omnis crucifigendus prius flagellis cæderetur, quem sequitur Iohann. Reuchlin. ICTus & Consiliarius Caroli V. Imper. in *Apologia de Judæis contra Theologos Colonienses*, hinc Iudæi ipsi à Tito Vespasiano tempore obsidionis capti, in singulos dies quingenti, nonnunquam plures flagellati, & paulo post fuerunt crucifixi jure & more Romano. Ioseph. 6. de bell. Judaic. c. 1. iusto nempe DEI iudicio, ut & ipsi talionis præna afficerentur. D. Calixt. p. m. in *Concord. Evang. l. 6. c. 11.* Conf. tradita parentis mei Christophori Crusii ICTi in tr. de pas. & resurrect. *Jesu Christi Filii DEI cap. 8. §. 6. p. 238. & 239.*

Et milites plectentes coronam de spinis) Albis acutissimis, è rubo, ut ferunt desumptis, si credimus Clementi Alexandrino l. 2. *Pedag. c. 8.* non ex junco marino, ut rectè contra alios Cæsar Baronius in Annalibus censuit.

Et veniebant ad eum, & dicebant: Ave rex Iudæorum.) Romanos milites, more apud Romanos in salutatio-

bus Imperatorum & Regum recepto. Vid. Lamprid. in *Alexandro Severo* Martial *lib. 4.* & Macrobius *l. 2. Saturnal. c. 4.* Christum, Regem per derisionem heic salutasse, nullus dubitat.

Et dabant ei alapas) Alapæ servorum castigationes injuriosæ erant, in manumissionibus eorundem imprimis receptæ, unde Claudianus *de IV. Consul. Honorii v. 622.*

— famulusq; jugo laxatus herili  
Ducitur, & grato remeat securior ictu,  
Tristis conditio pulsatâ fronte recedit.  
In civem rubuêre genæ, tergoq; removit

Verbera promissi felix injuria voti.

Sacratissimus Imp. Iustinianus in *l. ult. C. de emancipat. liberor.* injuriosa rhapsismata in *Novellâ autem 81.* facta cum injuriis & alapis nominans in liberorum quoque emancipationibus eadem usitata fuisse docet. Apud Germanos quoque Caroli M. ævo colaphi usum ad aliquem armis aptum idoneumque faciendum adhibitum fuisse ex tabulis liber-



libertatis ac privilegiorum, quæ Frisonibus ob fortiter navatam contra Saxones operam concesserat Carolus M. constat, quin imo hunc morem Magnates summos, Imperatores & Reges observasse historiæ loquuntur, memorabile hujusce rei exemplum extat apud Ioannem de Beka in *Chronico Episcoporum Ultrajectinorum ac Comitum Hollandiæ de Guilhelmo Hollandiæ Comite*. Restaurator generis humani etiam formam servi acceperat, igitur ut servus pro nostris peccatis alapis cædi ac supplicio crucis affici voluit. Cæsarius *dial.* 2. scribit, Christum alapis cæsum fuisse, ut nos à servitute diaboli in libertatem asfereret, *εγω ἦ γὰρ ἐλευθεροῦσι τὸς οὐκ ἐίτας κύριοι*. Alapæ enim manumittunt servos Domini.

Exivit ergo IESUS portans coronam spineam, & purpureum vestimentum. J. Baifius in *lib. de re vestiaria* p. 48. putat togam hanc purpuream pictam fuisse in Servatoris ludibrium velut à S. P. Q. R. missam illi, qui se Regem Iudæorum

rum appellaret, non rejicit hanc sententiam Dillherrus *tom. 1. Disput. Philologic. p. 504.* ast dubitatur unde sumpta toga ejusmodi quæ Ducum triumphalium ornatus erat, quod si alias togæ pietæ donatæ Regibus fociis, solum pro summo munere dabantur. Vid. Plutarch. in *Antonio Liv. lib. 10. Tacit. lib. 4. histor.* magis est, ut dicamus cum Casaubono *Exercit. 16. sect. 73.* fuisse fagum aliquod Centurionis aut Ordinum ductoris, obsoletum, quod præ manibus erat. Sane purpura apud antiquos ἀρχὴς σύμβολον erat & apud Romanos propria imperatorum. Herodian. *lib. 1. & 2.* cujus adhibendæ tanta etiam in tumultuariis Principum creationibus habebatur ratio, ut cum ad manum non esset eandem undecunque possent, raperent, puta è Deorum simulacris, ut plurimum de vexillis, observante Isaac Casaubono in *Notis ad Julii Capitolini Gordianos tres p. m. 423.* exempla petenda è Trebellio Pollione in Celso tyranno, Vopisco in Probo &  
*Satur-*

Saturnino. Quinimo institutum est ab Imperatoribus Constantinopolitanis, ut Augustæ liberos non parerent nisi *ἐπιτροπὴν*; quem morem Nicetas Choniates aperit *lib. 5. Conf. Luithprand. lib. 1. c. 1.* Habuere sane Imperatores Romani diadema & purpuram prout velex Codice nostro res notissima, Cæsares tantum purpuram, præfecti urbis neutrum, præclare hoc ipsum exposuit infinitæ lectionis Vir Johannes Ludovicus de la Cerda Toletanus e Societate JESU *in notis ad lib. 2. Georg. Virgilii ad versiculum, Illum non populi fascies, non purpura Regum p. m. 367.* neque Imperatorum modo sed & Regum vestes olim purpureas fuisse nemini non constat ex Appiano, Athenæo, Claudiano, Statio aliisque; laudatis Delrio *in Thyestem Senecæ.*

Mihi non loqueris.) Legibus enim Romanis cautum erat, ut reus ad objecta crimina respondere eaque diluere deberet.

Nescis quia potestatem habeo.) Ver-

bum potestatis apud Romanos in personâ Magistratus designabat ejusdem imperium juxta JCtum Paulum *in l. 215. D. de V. S.* adde *l. 1. D. ad L. Jul. Majest.* Joh. Goeddæus *add l. 215. D. de V. S.* ac sumebatur pro publicâ magistratus coercendi, decernendi, jubendique facultate, unde Ulpianus JCtus *in l. 3. D. de jurisdict* merum imperium definit, habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinerosos homines, quod etiam potestas appellatur.

Crucifigere te.) Dubium hoc loco oritur, quomodo hæc potestas Pilato competere potuerit, cum procuratores Cæsaris non habuerint potestatem gladii? testantibus Dione *lib. 53.* & Tacito *lib. 3. Annal.* nisi Præsidis partibus fungerentur. *l. 2. C. de pen. l. 4. C. ad L. Fab. de plagiar. l. 13. C. ubi caus. fisc.* Non displicet sententia Merillii existimantis Pilatum Procuratorem Tiberii in Judæa, ex speciali concessione merum imperium habuisse, ut Judæos assidue tumultuantes, & tributa solvere detrectantes compesceret. Et

Et potestatem habeo dimittere te.)  
 Juridicè Pilatus, qui enim damnare  
 potest, is absolvendi quoque potesta-  
 tem habet, juxta Paulum *in l. 3. D. de*  
*R. J. Conf. l. 6. D. de offic. Procons. & le-*  
*gat & l. 37. D. de R. J.* quamvis sint ca-  
 sus quidam singulares; in quibus etsi  
 Judici condemnare non licet, absolve-  
 re tamen licet, quâ de re incompara-  
 bilis Jctus Jacobus Gothofredus *in au-*  
*reo commentario ad R. J. ad d. l. 37. D.*  
*de R. J.*

Si hunc dimittis non es amicus Cæ-  
 saris.) Quo titulo ab Imperatoribus  
 alioquin ornabantur Præsides, Præfe-  
 cti, & Legati, prout constat ex *l. ult. D.*  
*de offic. præf vigil. l. 1. §. 3. D. de appel-*  
*lat. l. 4. C. de contrah. & committ. stipul.*  
*l. 17. D. de jure patronat.*

Quicumq; se Regem facit, contradi-  
 cit Cæsari.) Temporibus Tiberii, sub  
 quo hæc acta, legem Juliam Majestatis  
 severissimè exercitam fuisse, Svetonius,  
 præ omnibus verò luculentissimè testa-  
 tur illustris Annalium conditor Tacitus.

tus. Judæi igitur sanguinem Redemptoris nostri sitientes, ut Pilatus Tiberii offensam incurrere timeret, neque Christum tanti criminis accusatum dimitteret, crimen Majestatis tanquam omnium gravissimum intenderunt.

Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum & sedit pro tribunali.) More magistratum Romanorum, qui de rebus gravioribus cognoscentes sedebant pro tribunali. Clarissimus Vir Franciscus Polletus in *historia Fori Romani lib. 1. cap. 7.* postquam notasset, judices sedendo de rebus gravioribus consultasse, subjungit. *Animus sedendo magis sapit [ut est in proverbio] habetq; acriorem contentionem in quiete corporis, & cum natura nullâ molestiâ impeditur, constantius sese in rem propositam intendit, ut simul cum corpore affectus mentis componatur, quod & agnoscunt Theologi in illo Matthæi cap. 5. ibi Cum vidisset Jesus turbas, ascendit in montem, & cum sedisset &c. Acceditque, quod auctoritas & maje-*

majestas Magistratus magis visenda ostenditur in sedente, quam stante. Hactenus Pollietus d. l. adde eundem lib. 1. c. 1. ubi Philippus Broidæus in *Notis ad d. caput notat*, quosdam adeo superstitiosos hâc in parte fuisse, ut dicerent, sententiam latam à stante, aut non sedente Judice, nullius esse planè momenti, pro quibus facit *c. ult. in fin. de sentent. & re judicat. in 6. junctâ Glossâ, in verbo sedendo*, id quod non obtinet eodem notante in causis summariis. In sacro Codice sedere quoq; frequenter pro judicare accipitur, observante Henrico Mollero *part. 3. enarr. Psalm. Davidis ad Psalm. 122. v. 8.* sessio enim convenire precantibus visa; quoniam quiete illâ magis animus sit compositus & ad precandum idoneus. Vide Gerard. Joann. Vossium in *preclaro opere de origine & progressu Idololatriæ lib. 2. cap. 11. §. 11. & eundem lib. 6. Oratoriar. Institut. cap. 11. §. 11.* ubi observat, creditum olim fuisse rectius judicari à sedentibus. Conf. tradita à me in *tract. meo de pre-*  
*eminenz*

eminentiâ, sessione, precedentiâ, & uni-  
 verso jure *ᾠποεδρίαις* Magnatum in Eu-  
 ropa l. 1. c. 4. n. 1. 2. β. sp. 24. & in Ad-  
 dend. p. 957.

Illi autem clamabant: Tolle, tolle,  
 crucifige eum.) Non erat boni ac con-  
 stantis Judicis in gratiam populi cla-  
 mantis jam ante innocentissimum judi-  
 catum ad supplicium crucis condemna-  
 re, quanto melius Imp. Dioclet. &  
 Maxim. populo exclamanti Decurio-  
 num filios non debere bestiis subjeci  
 responderunt in l. 12. C. de penis. *Va-  
 nas voces populi non esse audiendas, quan-  
 do populus aut noxium crimine absolvi,  
 aut innocentem condemnari desiderat.*

Tunc ergo tradidit eis illum, ut cru-  
 cifigeretur.) Dubitari heic possit, per-  
 miseritne duntaxat Judæis Christum  
 Pilatus, an Judicis more damnaverit?  
*Lactantius lib. 4. Inst. c. 8.* prolatam à  
 Pilato sententiam negare videtur, i-  
 demque non obscure placuit Chryso-  
 stomo *Orat. secundâ de Eleemosyna*, ast  
 contraria sententia probata Cypriano  
 adver-



*adversus Demetrianum* verisimilior, Pilatus enim tanquam Præses Romanus leges Romanus, quibus publicatio sententiæ condemnatoriæ ante supplicium requirebatur, observare tenebatur, nec ordinem iudicii absq; nullitate invertere poterat, accedit quod exactum per solos milites Romanos supplicium apud Romanos usitatum arguat præcessisse sententiam condemnatoriam, arguit præterea, quod juxta præcedentem *versic. 13*, Pilatus pro tribunali, quasi jam causâ cognitâ sententiam prolaturus, sederit, quinimo non obscure id colligere licebit, ex titulo à Pilato scripto, ex corpore ab eo postulato, præprimis ex præcedentibus clamoribus populi, qui non alio tendebant, quàm ut Pilatus suâ voce Jesum damnaret.

Susceperunt autem Jesum & eduxerunt.) More Romanis recepto, apud quos ad crucem damnati, postquam flagris cæsi fuerant, per urbem trahebantur. Dionys. Halicarnass. *l. 7, Antiquit.*  
 Conf.

Conf. Arnob. *l. 7. advers. gentes* crucem suam portantes, quâ de re testatur locus egregius Artemidori *in discursu meo histor. de Κυνοφοεία sive canum portatione cap. 4. n. 7.* adductus. Equidem cum ipsa crux à cruciario portata fuerit ad locum supplicii, ex eo sequitur eam non adeo altam fuisse, quod deinde & ex eo patet, quod canes adfultantes cadaveri crucifixi potuerint illud laniare, & viscera extrahere. Apulejus *lib. 6. Metamorph.* Vid. Lips. *de cruce.* Salmasius exinde colligit, Josephum ab Arimathæa corpus Christi Filii DEI de cruce sustulisse absque scalarum ope quarum nullus Evangelistarum meminuit.

Et bajulans sibi crucem exivit in eum.) Cruciarii enim ipsi, ut modo dictum, ipsi ferebant sibi crucem, aut totam aut certè partem ejus. Vide Plutarch. *in libro de serâ numinis vindictâ,* & Plaut. *in Milite glorioso act. 2. sc. 4.*

Calvariæ locum, hebraicè autem Golgatha.) Missis variis & diversis Theo-

Theologorum opinionibus verisimilior videtur sententia statuentium, craniorum montem inde dictum, non quod Adami calvaria secundum traditionem veterum ibi tumulata esset, sed quod ibi facinorosi capite mulctarentur. Vid. Jansen. in *Concordiâ Evangelicâ* cap. 143. Vofs. in *Harm. Evangel.* lib. 2. p. 257. & seqq.

Ubi crucifixerunt eum.) Redemptoris nostri crux tota tribus constabat partibus, arrectario scilicet ligno, sive stipite, sive palo, qui erectâ statione in terram defigebatur, Staticulum & statumen appellat Tertullianus. Hæc præcipua pars Crucis sive major, dicente eodem Tertulliano. Altera pars transversaria est, quæ ideo antemna appellata. Hæc pars dissepis brachiis cruciarii & alligatis quasi vestita erat. Quæ directa defigebatur, totum corpus sustinebat rectum. Tertia fuit sedile, idest lignum, quod è medio staticulo sive stipite crucis erecto eminebat, cui infidebat cruciarius. His tribus partibus integran-

tegrantibus tota crux constabat. Te-  
stes hujusce rei ex patribus primitivæ  
Ecclesiæ Irenæus, & Tertullianus. Il-  
le lib. 2. *adversus Hereses* c. 46. *ibi*. Ipse  
*habitus crucis, fines & summitates habet*  
*quinque, duos in longitudine, & duos in*  
*latitudine, & unum in medio ubi requi-*  
*escit, qui clavis affigitur.* Hic lib. 2. *ad-*  
*versus Nationes* sedilis excessum appel-  
lat his verbis. *Pars crucis & quidem*  
*major, est omne robur quod erectâ statio-*  
*ne defigitur. Sed nobis tota crux impu-*  
*tatur, cum antenna scilicet sua, & cum*  
*illo sedilis excessu.* Sedile hoc loco est,  
in quo sedetur, non quod pedibus sub-  
jicitur, unde cum quibusdam de suppe-  
daneo accipiendum non erit, excessum  
vocat sedilis, quia excedens illud & e-  
minens in medio crucis lignum, pro se-  
dili fuit ad sustinendum cruciarium ei  
insidentem. Hinc explicandi sunt ver-  
sus illi Mæcenatis, quibus omnia susti-  
nenda putavit, dum vivamus. Addu-  
cit eos Seneca Ep. 101.

*Debilem facito manu; debilem pede,*  
*coxa:* Tu-

*Uber astrue gibberum; lubricos qua-  
te dentes:*

*Vita dum superest, bene est, hanc mi-  
hi, vel acutam*

*fidam sustineo crucem*

Circa verba ultima, variæ occurrunt eruditorum emendationes, incomparabilis Jctus Barnabas Briffonius in incomparabili opere de Formul. lib. 1. ita legit. Hanc mihi, vel acuta, si sedem cruce, sustine. Lipsius ex Codicibus veteribus, ut ait in Comm. in Senecæ hunc locum, ac Taciti Ann. lib. 14. & lib. 1. de Cruce cap. 6. atque ante ipsum Fern. Pincianus ad Senecam legunt: vel acuta si sedeam cruce, sustine. Aliter magnus Salmasius lib. 3. de fænore Trapezit. & Epist. 1. de Cruce: Aliter quoque Jos. Scaliger Epist. lib. 1. Ep. 33. ibi.

— — Hanc mihi, vel acuta

Subdam sustineo cruce.

Quam emendationem approbat clarissimus Joannes Henricus Meibomius in *Mecenate cap. 24.* putans ita Senecam legisse, idq; ex istis ejusdem verbis li-  
quere,

quere, quibus ait; *suffigas licet, & acutam sessuro crucem subdes &c.* Mæcenatis crucem-acutam magnus Theologus Georgius Calixtus, aliter quàm Lipsius, qui crucem acutam loco laudato interpretatur eam, quâ miseri homunciones stipite acuto transfiguntur, per os emergente, censet esse lignum illud in medio crucis, cui cruci affigendi infidebant. Jam ante B. Calixtum eadem sententia placuit Celso Adorno Theologo Novariensi in *Epist. ad Joann. Talentonium, quam ipse Talentonius exhibet* *Rever. recondit. lib. II. cap. 22. & 23.* ubi ex Irenæo & Justino Martyre docet in medio crucis cujuscunque; etiam ejus, in quâ Salvator noster pependit fuisse lignum instar cornu eminentis, in quo invehentur quasi cruci affigendi, Addit rationem Calixtus, ostenditque necessarium fuisse ejusmodi in crucis medio stipite palum, cui crucis candidatus insideret, aut velut inquietaret, ad sustentandum patientis corpus, ac ne ruptis manuum pedumque tendinibus, crucifixi pronum corpus

corrueret, quod sine tali sustentaculo fieri necessum erat, infringere eandem conatus quidem fuit Nicolaus Fontanus *in Epist. eâ de re ad Nibuf.* refellitur tamen satis superque à Salmasio & Bartholino. Fuit igitur, olim in cruce sedile quoddam, atque eâ quidem parte, quâ infidebatur, acutum: ut & cruciaret, malamque sessionem faceret cruciario, & simul tamen sustentaculo, ipsi esset, in quo durare & consistere posset, ne corpus collaberetur. Porro addunt alii quartam partem crucis, videlicet suppedaneum lignum, in quo pedibus cruciarii insisterent, ac veluti requiescerent, quomodo ex Romano-Catholicis Theologis statuerunt Baradius *tom. 4. Concordie Evangelicalib. 7. c. 13.* & Gretserus *lib. 1. de Cruce c. 42.* ex nostris Calixtus *in Concordiâ Evangel. lib. 6. c. 13.* & Dilherrus *tom. 1. Disputat. Philolog. pag. 505.* Conf. ex Jctis nostris Jacobum Gothofredum *in notis in librum 1. Tertulliani ad nationes pag. 119.* quæ sententia, ut ingenuè

genue dixerim, infirmis tamen nititur  
argumentis, & cui bono suppedaneum,  
quando corpus cruciarii citra illud tol-  
li & levari poterat?

Et cum eo alios duos, hinc & hinc:  
medium autem JESUM.) Daniel Hein-  
sius in *Exercit. sacris ad Nonnum* p. 515.  
nec non supra laudatus Thomas Bar-  
tholinus putant illam crucem, in qua  
affixus Filius Dei JESUS exspiravit al-  
tiorē præ duabus aliis fuisse, in qui-  
bus latrones defuncti sunt. Equidem  
negari non poterit crucem eò infamio-  
rem olim habitam, quò altior fuit, ut  
constat de cruce Mardochæi *Esther. 7.*  
*v. 9.* exempla occurrunt apud Justinum  
*lib. 18.* & Silium Italicum *ibi:*

— *Vidi cum robore pendens  
Italiam cruce sublimis spectaret ab altâ.*  
Ita apud Svetonium Galba delinquenti  
capitali supplicio afficiendo ac testifi-  
câti se civem Romanum esse, quasi sola-  
tio & honore aliquo pœnam levaturus,  
mutari, multoque præter cæteras altio-  
rem & dealbatam statui crucem jussit.  
Ean-



Eandem ob causam verosimile quibusdam videtur à solitâ hâc altitudine non recessisse crucem servatoris omnibus spectandam, adducentes istud *Tertuliani 2. advers. Marcionem.*

*Hujus de latere, ligno pendentis in alto Corporis ex animi sanguis manavit & humor*

nec non Nonnum Interpretem Johannis, aliosq; hanc crucis sublimitatem ad multa utilem deprædicat G. Nazianzenus *Orat. Apologet. 1.* Eleganter facundissimus Patrum Lactantius *lib. 4. de Verâ Sap. c. 26.* Accedit, quod alioquin si crux non alta fuisset, à remotioribus, quibus viciniore intercipiunt ad spectum non visa fuisset, nec typum expressisset serpentis in deserto erecti, qui omnibus, qua patebat campus, erat conspicuus. Cæterum meram esse conjecturam, quæ de adeo altâ & sublimiore servatoris cruce non pauci Theologorum tradunt, nullus dubito, & sane cum ipse Redemptor crucem suam portaverit, non tam magnam aut altam

altam fuisse oportet, quin hominis u-  
 nius onus esse potuerit, alta sane crux  
 cum suâ antemâ, & cum palo, qui è  
 medio stipite eminebat, non fuisset fe-  
 rendo, uni præsertim homini, & per  
 quoddam itineris spacium, adde, quod  
 de plano cruciariis crura frangerent  
 carnifices, quinimo miles, qui lanceâ  
 latus Domini in cruce pendentis trans-  
 fodit, non altè suspensum fuisse indi-  
 cat, omitto illam Salmasii rationem,  
 scilicet si crux nimis alta fuisset, non  
 potuisse elogium sive titulum ad caput  
 crucifixi positum de plano legi, non ma-  
 lè enim Bartholinus in Epistolâ respon-  
 soriâ ad Salmasium putat verosimile ef-  
 se titulum istum cunctorum oculos in-  
 currisse, ob candorem in nigrâ tabulâ  
 admodum illustrem, cum nihil ad re-  
 motiora diffundatur magis, quam in  
 candido pariete nigræ emicantes no-  
 tæ, teste Aristotele in Problemat. ita  
 Romæ grandiores literas quadratas,  
 quibus signata peristylia augustæ An-  
 tonini ædis in foro Romano, in loco  
 publi-

sublimi, à se, quanquam non satis oculato lectas fuisse Idem memorat.

Scriptis autem & titulam Pilatus : & posuit super crucem.) Idem apud Romanos receptum erat, prout constat ex Svetonio in *Caligulâ* c. 32. *ibi precedente titulo, qui causam pœnæ indicaret, percatus epulantium circumducitur.* Sane delictum, ob quod aliquis meruerat vitâ multari ut plurimum lignæ tabulæ albæ inscriptum nigris literis appendebatur ad caput ejus, qui ultimo supplicio afficiendus, *λευκωμα* vocat Hefychius, quò spectat egregius locus Dionis Cassii *lib. 54.* alioquin vocem tituli quamvis designare inscriptionem, ex Ovidio *l. 2. Amor. el. 13 & lib 9. Metam. in fin. ac Statio lib. 5. Sylv. 2. v. 246.* res notissima est, ita & inscriptiones monumentorum vel sepulchralis memoriæ, Tituli dicebantur Plin *Epist. 19.* Juven. *Satyr. 10.* Græci *ἑπιγραφὴν* vocant. Artemidor. *l. 5. c. 75.* quò spectat istud Ovidii

*Sculptaq; sunt titulo nostra sepulchra  
breui.*

H Vip.

Vid. Kirchmann. *in praclaro opere de Funer. Roman. lib. 3. c. 19. p. m. 474.*  
 De Titulo à Pilato scripto discrepantes sunt scriptorum opiniones cælatura fuerit, an sculptura? Posterior placuit Danieli Heinsio *in Aristarcho ad Nonnum c. 9. & 28.* Ast scripturam fuisse disputant Salmasius, Balduinus, Walæus, Daniel Clafenus alii, quorum sententiæ favent verba S. Evangelistarum satis clara αἰτία γεγραμμένη ait Matthæus, ὅτι γεγραφή γεγραμμένη ajunt Marcus & Lucas, ἔγραψε πίπλον ait heic Johannes, quæ omnia, nisi fallor evincunt scriptam fuisse criminis causam, non vero sculptam σανίδα λευκήν eodem sensu appellat Nicephorus *lib 8. histor. c. 29.* idest tabulam albam nigris literis depictam, Vid. M. Henr. Kipping. amicam nostrum in *Recens. Antiquit. lib 2. c. 8.*

Erat autem scriptum : Jesus Nazarenus, Rex Judæorum, & erat scriptum hebraicè, græcè, & latinè.) Cum plerique ex Græcis Latinisque Hierosoly-  
 mam

nam convenirent, tribus hisce linguis  
 titulum scribi oportuit, ut ab omnibus  
 legeretur. Cæterum ut ut titulus tri-  
 bus linguis scriptus fuerit, sententia ta-  
 men prolata non aliis quàm latinis lite-  
 ris scripta fuerat. Sententiæ enim &  
 decreta latinè à Prætoribus interponi  
 debere ex *l. decreta 48. D. de Re judic.*  
 tam notum est, quàm quod notissi-  
 mum, quinimo ex Svetonio, Dione,  
 Cicerone, ac Valerio Maximo patet,  
 ipsos Romanos Impp. non nisi latinè re-  
 scripsisse, ac usum lingvæ suæ unâ cum  
 dominatione propagasse, quoad ejus  
 fieri poterat. Duabus de causis id ab iis-  
 dem factum, Prior fuit; quia plerique  
 Romanorum magistratum græcè ne-  
 sciebant, aut certè periti sermonis Græ-  
 ci adeo non erant, ut commodè atque  
 expedite græcè possent loqui. Nam  
 qui poterant, cum tulit occasio fece-  
 runt. Sic apud Livium *lib. 45.* Paulus  
 Æmilius in Macedoniâ sedens pro tri-  
 bunali, latinè, quæ Senatui, quæ sibi ex  
 Concilii sententiâ visa essent, pronun-  
 cia-

ciavit: ac statim Cn. Octavius Prætor,  
interpretata sermone græco referebat.  
Accedit & alia eaq; præcipua causa:  
nam specimen aliquod dominationis  
in eo multi posuerunt, ut apud subje-  
ctas gentes lingua Populi dominantis  
usurparetur. *Data est opera*, inquit Au-  
gustinus *lib. 19. de Civitate Dei cap. 7.*  
*ut civitas imperiosa non solum jugum:*  
*verum etiam linguam suam domitis gen-*  
*tibus per pacem societatis imponeret.*  
Quinimo ignorasse linguam latinam  
apud Romanos non turpe solum, sed  
periculo junctum: ut extant exempla,  
ob unicam hanc causam ademtæ civita-  
tis. Vid Isaacum Casaubonum *ad An-*  
*nales Eclesiasticos Baronii Exercit. 9.*  
ex eâdem causâ Leges doceri in Syria  
Beryti voluerunt, lingvâ Romana, quâ  
de re insignis locus est apud S. Gregori-  
um Thaumaturgum *in laudatione Ori-*  
*genis.* Vid. Clapmarium *de Arcanis Re-*  
*rum publicarum lib. 3. cap. 12.* ubi an-  
notat ad autoritatem Reipublicæ con-  
servandam, permagni interesse, ut stri-  
ctè

etè observetur & usurpetur lingua vernacula. Et Turcici Imperatores majestatem Imperii sui ostentant, dum non aliâ linguâ; quàm suâ vel Legatos exterorum Principum audiunt, vel iisdem respondent. Apud Bohemos & Moravos legem esse, ne cui illustri vel equestri ordine nato cujusquam hereditatem cernere, prædiave, quæ Landgüter appellantur possidere liceat, nisi lingvæ Sclavonicæ perito, notavit Christophorus Fastnerus *in Not. polit. ad Tacit. p. 160.* Sane postquam Imperii Romani sedes geminata fuit, ac Bizantium itum, ausa est græca cum latinâ certare locutio, certè composita ob geminam, Imperii sedem, unde Impp. Arcadius & Honorius *in l. 12. C. de sentent. & interlocut. Jud.* rescripserunt, Judices tam latinâ quàm græcâ lingvâ sententias proferre posse. Vid. Paganinum Gaudentium Theol. & Jctum *de Justinianei seculi moribus non nullis part. 2. c. 31.* Conf. quæ diximus *in Comment. nostro historico-philologico-juridico*

ridico adl. Ἀξιόσις 9. D. de L. Rhodia  
de Iactu cap. 9.

Respondit Pilatus. Quod scripsi scrip-  
si.) Juridicè quoad sententiam à se pro-  
latam respondit Pilatus, neq; enim jure  
Romano Præsidi provinciæ licebat pæ-  
nam suâ sententiâ dictam revocare per  
*l. pænam. 15. C. de pæn Conf. l. 1. §. fin.*  
*D. de quest. §. l. 45. §. 1. D. de rejud. Ve-*  
*rum enim verò Judæi non mutatio-*  
*nem pænæ, sed tituli, tantum desidera-*  
*bant, quâ in re Judæis postulantis fa-*  
*vere potuisset, quamvis enim sententia*  
*mutari non potuerit, prohibitum ta-*  
*men non erat, quò minus ea quæ ad*  
*consequentiam statutorum specta-*  
*bant, eodem die supplerentur l. 42. D.*  
*de R. I.*

Milites ergo cum crucifixissent eum  
acceperunt vestimenta ejus.) More sci-  
licet apud Romanos recepto, quo pan-  
nicularia & vestimenta damnatorum  
fiebant spiculatorum, cæteræ verò res  
commentariensium, exclusis tamen  
gemmis magni precii, aut chirographo  
magnæ



magnæ pecuniæ apud damnatos reper-  
tis, juxta *Ulpianum in l. 6. D. de bon.  
damnator.*

Et fecerunt quatuor partes unicui-  
que militi partem.) Ex hisce verbis non  
obscure colligere licebit, quatuor so-  
lum milites Christum crucifixisse, cum  
divisa veste Christi in quatuor partes,  
quisque suam haberet.

Erat autem tunica inconsutulis.)  
Redemptorem nostrum constat gestasse  
tunam vestem exteriorem eamque am-  
pliolem & latiorelem inter milites divi-  
sam, cum vestem interiorem è lana  
eamq; strictiorelem & breviorlem nec ita  
divisioni obnoxiam, unde super ean-  
dem milites sepositâ divisione sortem  
miserunt. Vid. Casaubonum *Exercit.*  
*16. sect. 84.* & Joh. Dorscheum *in opu-  
sculo de Tunica Christi inconsutuli cum  
consutatione fabulæ Trevirensis.*

Dixerunt ergo ad invicem: Non  
scindamus eam, sed fortiamur de ea, cu-  
jus sit.) Scilicet milites super tunicâ  
Christi, factis quatuor partibus, *vid. su.*

*pra*

pra v. 23. jecerunt sortem, nominibus  
 quatuor militum in urnam inmissis, ut  
 illius tunica esset, cujus nomen prius  
 urnâ emerfisset: aut, in defectum ur-  
 nae, in galeam seu cassidem jactâ sorte,  
 more militari, observante Johanne Ja-  
 cobo Wissenbachio in *Not. ad v. 35. c.*  
*27. Evangel. Matth.* alioquin apud Ro-  
 manos in plerisque sortem adhiberi so-  
 litam fuisse, praëprimis in successioni-  
 bus dividendis ex *l. un. §. 2. D. de offic.*  
*questor. l. ult. C. commun. de legat. l. 24.*  
*§. 17. D. de fideicomm. libert.* constat.  
 Vid. observata eâ dere in tract. meo de  
*praëminentia, sessione, praecedentia &*  
*universo jure topocriticæ Magnatum in*  
*Europâ, lib. 1. c. 5. n. 29. p. 43. & 44. &*  
*c. 7. n. 13. & seqq. p. 79.*

Vas ergo erat positum aceto plenum.)  
 Vas istud aceto plenum, observante E-  
 mundo Merillio Antecessore in Acade-  
 mia Biturigum in *not. in passionem Chri-*  
*sti ad h. l.* positum fuit ad bibendum,  
 idque milites Romani, incerti an diu  
 mansuri in loco supplicii attulerant:  
 non

non ut ex eo potum Christo darent,  
 sed potius ut sibi ex eo potum fumerent,  
 acetum enim apud Romanos non modo tenuioribus. *l. 25. D. de opt. vel elect. legat. l. penult. & l. 9. §. si acetum D. de tritico vino vel ol. legat.* sed potissimum militibus in potu fuit, prout ex *l. primâ C. de erogat. milit. annon. lib. 12. & Spartiano in Pescennio Nigro, ibi jussit vinum in expeditione neminem bibere, sed aceto universos esse contentos, notissimum.*

Illi autem spongiam plenam aceto.)  
 Veteres ad animi deliquium usos fuisse aceto & pulegio testatur Galenus *πρὸς δὲ τὴν τέτων ἀνάκτησιν ὄξω, καὶ γλήχωνα προσάγομεν τοῖς μυκτῆρσι.* Adeos, scilicet qui deliquim animi patiuntur, revocandos & recreandos, acetum & pulegium admovemus naribus, idem testatur Alexander Tralianus, eundem in finem spongia in acetummersa circumdata calamo vel hyssopo Redemptori oblata fuit.

Hyssopo circumponentes obtulerunt

H 5

runt

runt ori ejus.) Hyssopum alii datam si-  
 tienti Christo suspicantur, ob insignem  
 amaroris sensum, cum Isaaco Eben  
 Amram Arabe inter amaras hyssopum  
 numerantes, malè, nam tantum abest  
 inter amaras censeri debeat, ut condi-  
 menti loco omnibus delicatorem men-  
 sis inlata fuerit, ita Coelius Apitius in-  
 signis palati adulator *l. 1. Rei culin. c. 1.*  
 suavissimos sales ex hyssopo conficit,  
 commodissimam mulsam laudant cum  
 hyssopo Galenus *13. Meth. Med. c. 18.*  
 & Ægineta *l. 2. c. 37.* Aben Sina Ara-  
 bum Princeps in cura Asthmatis pro ci-  
 bis subtiliatis approbat inter alia hyssopum,  
 & si eo sine exhibuissent hyssopum,  
 ut amara esset, egregiè delusi fu-  
 issent in herba vulgaris in Palæstina no-  
 titiæ, idque eo magis quod hyssopus  
 cum aceto saleq; mixta jucundissimum  
 haustum efficiat, auctore Galeno *comm.*  
*ad Hipp. l. 2. de Victus Rat. t. 18.* magis  
 est, ut ignominie causâ id factum esse  
 dicamus cum *Stuckiol. 3. Conviv. antiq.*  
*c. 13.* non obscure hoc colligitur ex S.

Luca

c. 23. v. 36. *ibi Illudebant autem & milites accedentes & acetum offerentes illi, adde quod hyssopus in Hebræorum natione execranda fuerit, quando quidem Levit. 14. leprosis offerebatur & ludibrii sit hieroglyphicum vilitatisque. Quod si ingeniosæ conjecturæ hic aliquis relictus locus, existimarem cum Bartholino de later. Christi aperto c. 8. nefarios milites, ut potum posceati falaci potu illuderent, simulque doloris catalogum auerent, hyssopum non ingrato poculo miscuisse, ut vomitum concitarent, vulneratis alioquin teste Celso l. 5. c. 25. molestissimum. Hinc rectè cum gustasset Salvator bibere noluit. Vomendi eas vires decocto hyssopi largiuntur Hippocrates de Sal. Dieta, Plinius, Celsus l. 1. c. 3. & vomituris suadet Polybus de Sal. victus natione. Cæterum quod heic de hyssopo dixit S. Johannes, eam aceto ad reficiendum deficientem Christum ab aliquo porrectam esse, ut odore hyssopi excitaretur, hoc alii Evangelistæ calamo factum*

scripsere, nempe aromatico, cujus & odor fragranter suavissimus & efficax est ad spiritus recreandos naribus ductus, observante Salmasio in *Epist. de cruce*, qui ibidem hyssopum pro frutice accipit, quam sententiam quoque fovet Joannes Beverovicus in *Epistolâ responsoriâ ad clarissimum Bartholinum* Frutex debuit esse, inquit, cujus cuspidi circumponeretur spongia, quæ erigi posset in altum, & verò si malva, quæ herba flaccida est, eodem observante, varietate foli, vel solâ culturâ ad tantam magnitudinem, ac firmitatem pervenire potest, ut baculi usum præbeat, quanto magis solum Orientis natura sua aptum, quippe à cælo & solo præparatum, id efficere queat in hyssopo, herba per se fruticosa? unde Idem putat hyssopum calamum præbuisse satis longum spongiæ ori cruciarii admoventi, Conf. Salmas. landato loco.

Rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura & tollerentur.) Apud Romanos cruciariis crux erat sepulchrum,

chrom, ut loquitur Plautus *in milit glorios.* hinc ne amici & cognati de crucibus detraherent cruciariorum corpora, adjungebantur milites exorbitores. Petronius *in Satyrico: Miles cruceas asseruabat, ne quis corpora ad sepulturam detraheret.* Conf Plutarchum *in Cleomene,* vetustissimum hunc morem esse ac receptum apud Ægyptios testatur Herodotus *lib. 3.* eodem modo Christus & Latrones more Romano crucifixi in crucibus remanere debuerant. sed Judæi propter magnum diem Sabbathi rogauerunt Pilatum, ut corpora eorum tollerentur, neque in cruce remanerent. Porro crucifragium, obseruante Merillio non ex more Hebræorum sed Romanorum erat. Vid. *Lactant. lib. 4. Inst. c. 26.* & Augustin. *in Psalm. 33.*

Et unus militum lanceâ.) Milites spiculatores erant cum lanceis *λογχοφόροι* dicti. Vid. Sveton. *in Claud. Cōf. Originem tr. 35. in Matthæum.* Hi ipsi erant circa Imperatores, ut de Vespasiano

fiano testatur Josephus *lib. 3. Bell. Judaic. c. 8.*

Latus ejus aperuit. ) An sinistrum latus? Ita plurimi statuunt asserentes ex corde percusso sanguinem provenisse, & ante quidem eodem ictu læsum fuisse pericardium, quod ipsum aquæ copiam pro cordis exæstuantis refrigerio continere monuit ex veteribus Hippocrates, & pluribus confirmant Bauhinus *lib. 2. Anatomie pag. 203. & 204.* & Andreas Vesalius *lib. 6. Anatomie c. 8.* ast dextrum latus Redemptoris penetrasse lanceam existimarunt plurimi ex Theologis, quos inter Bernardus, Bonaventura, Joh. Major, P. Tarnovius, Chiffletius de linteis Christi sepulcralibus, favet observante Bartholino præter historiam Christi Persicam à P. Xavier conscriptam, à Lud. de Dieu verò editam textus Arabicus hujus Evangelii, & lateris absolute positi pro parte nobiliori denotatio, eadem sententia placuit Poëtarum seculi hujus Principi Barlæo, cum quo Christum in cruce merito ita alloquor. Dex-



*Dextratibi perfossa riget: mea sola sce-  
lestā est*

*Nec sentit pœnam noxia dextra suam.  
Innocuum qui mucro latus transfixit,  
aberrat;*

*Debentur lateri vulnus & hasta meo.*

Cæterum cur lancea illa, quâ latus Christi apertum à S. Johanne heic λόγῳ vocetur, ab ejus verò interprete Nonno Μάχαιρα? disquirat Bartholinus de lat. Christi aperto. c. 6. Conf. incomparabilem Salmasium *de cruce* p. 338. qui Nonnum per μάχαιρα ferrum lanceæ intellexisse putat. Militem latus Christi aperientem Longinum nominatum fuisse antiquitati sine tamen fundamentis placuit, cujus Epitaphium prope Lugdunum ad confluentem Rhodani & Araris in fano S. Mariæ Insulæ Barbarorum, ut vocant, sequentibus verbis extat.

**QVI SALVATORIS LATUS IN  
CRUCE CUSPIDE FIXIT:  
LONGINUS HIC JACET.**

De canonisatione (quæ primitivæ Ec-  
cle-

clesia prorsus incognita caput sub Leone tertio Pontifice) hujus Longini lectu digna tradit parens meus dilectissimus Dn. Christophorus Crusius J.C. de pass. domin. c 14. n. 18. 19. 20. 21. 22. quò lectorem remitto.

Et continuo exivit sanguis & aqua. )  
Sanguis quidem ut dictum ex corde, aqua verò ex pericardio, quod ipsum Presbyter Sedulius Poeta Christianus & non vilis in Ecclesiâ existimationis lib. 5. Carm. in crucem Christi ita expressit

— — jam spiritus artus  
Liquerat ad tempus, patulo jam frigida  
ligno

Viscera pendebant, & adhuc furor arma  
ministrans

Cuspide perfossam violat latus: ecce pa-  
renti

Vulnere purpureus cruor & simul unda  
cucurrit.

Sane Orientalis Ecclesia in hujus rei memoriam vinum aqua temperare in Eucharistia etiamnum solet, ut indicet

con-

confusum aquæ sangvinem fluxisse, quem ritum antiqva Ecclesia tam Orientalis quàm Occidentalis olim servavit, abrogatum apud posteros propter controversias de vini in sangvinem Christi mutatione ortas.

Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa, ut tolleret corpus JESU.) Cum Redemptor noster, ut seditiosus, ut regnum affectans, ut turbas concitans supplicio crucis affectus fuerit, & jure Romano Majestatis damnati, publicatis bonis sepulturâ prohiberentur, *l. pen. D. de cadaverib. punit. Tacit. lib. 5. Annal.* non poterat proprio motu absque permissione superioris Josephus corpus Redemptoris tollere, adit igitur Pilatum non inscius legum Romanarum, quibus corpora damnatorum ad sepulturam cognatis non negabantur, jam à temporibus Augusti Imp. ut ipse Augustus *lib. 10. de vitâ suâ* scripserat. Vid. Ulpianum *in l. pen. C. de cadaver punitor.*

Et permisit Pilatus.) Juxta leges Romanas.

manas. Vid. Ulp. *in d. l. pen. C de cada-  
ver. punitor.* *Eorum, inquit, in quos a-  
nimadvertitur corpora, non aliter sepe-  
luntur, quàm si fuerit petitum & per-  
missum.* Vid. Petr. Fabrum *lib. 2. Se-  
mestr. c. 9.* & Jacobum Durantium Ca-  
sellium *lib. 1. Var. Lect. c. 4.* ubi etiam  
adducunt exemplum hoc Josephi.

Ferens mixturam myrhæ & aloës.)  
S. Evangelista heic aromata à Nicode-  
mo ad uncturam allata revocat ad duas  
species, ad myrrham scilicet & aloën,  
utpote sumptuosiores, & in hâc mixtu-  
ra dominantes, observante B. Gerhar-  
do *in Harm. Evangel.* alias enim spe-  
cies apud Judæos adhiberi solitas extra  
dubium est. Sane unguentum Aloës ex  
succo plantæ in Indiâ & Asiâ conficie-  
batur, cui nomen Aloë, teste Plinio *lib.*  
*27. c. 5.* Myrrhæ verò laudatissimum  
unguentum proveniebat in Troglody-  
ticâ Æthiopiæ regione sub Ægypto,  
itemq; in Arabia felici, ex myrrhâ pro-  
cerâ & spinosâ arbore, ex quâ defuda-  
bat gummi quoddam seu lacruma,  
quam

quam itidem myrrham dicebant, eaque vel sponte profluens ventis vehementius spirantibus, vel inciso cortice elicita, quarum illam primam dici, atque esse optimam, hanc secundam & minus bonam, tradit Nicol. de Lyra *ad Exod.* 20. v 23. Nicol. Guibert. Medicus Lothar. *assert. de Murrhin. c. 1.* tradit non modo Judæos, sed & Ægyptios, Syros, Arabes, ac alias nationes ex inveteratâ traditione munire solitos fuisse cadavera myrrhâ & aloë. Neque Christianis veteribus in condiendis mortuis inusitatam fuisse myrrham liquet ex Prudentii *hymno X. circa exeq. de funt.* alioquin veteres in condiendis mortuis usi sale Plin. *lib. 31. N. H. c. 9.* cedro. Idem Plin. *lib. 14. c. 5.* nitro, Herodot *lib. 3. calce,* necnon prælaudatis unguentis, de quibus more suo eruditè egit clarissimus Kirchmanus *lib. 1. de Funer. Roman. cap. 9. per tot. de melle* idem tradit Plinius *lib. 22. c. 24.* quo in condiendo Alexandro M. usos fuisse Ægyptios Chaldeosque testatur Papinius 3. *Sylv. cujus Alexandri M. corpus postmodum vidit Julius Cæsar, vidit quoque juxta Dionem lib. 51. Augustus, idque attrectavit, videre & alii: donec curiosos inhiberet Severus Imperator, teste eodem Dione, claudens monumentum Alexandri, ne quisquam corpus ejus in posterum videret. Morem Ægyptiorum circa uncturam mortuorum receptum Vir ex-*  
cel-

ellentis ingenii & lectionis infinitæ Athanasius Kircherus S. J. Sacerdos in Oedip. Ægypt syntag. 2. c. 1. p. 123. & 124. ex Herodoto, Diodoro siculo, aliisque exposuit, ubi tradit circa uncturam Ægyptiorum myrrham, cinamomum, aliaque unguenta ipsi laudata adhibita fuisse. Cæterum ut ut hæc ipsa in Regum, & potentiorum conditura observata concesserim, tamen communiter præter asphaltum, nulla alia aromata adhibita fuisse existimo per tradita celeberrimi Nardii in animadv. in Lucretium. Sane ipse Kircherus, qui syntagmate integro de Mumiiis, quod operis laudati tomo 3. inseruit, omne studium intendit, ne quid, indictum prætermittat, tandem clarissimi Nardii documento (qui corpora fasciis suis evoluta summo studio dissecuit, & præter asphaltum nullo alio aromatici generis apparatu condita reperit) victus, haud aliud aromatis aut linimenti genus Ægyptiorum cadaveribus admotum arbitratur. Sed quia Nardii lucubrations in paucorum manibus, verba ejusdem subjicere pretium operæ esse puto. Nemo sciens se traducipatiatur in posterum, inquit, speravi o' im miram fragrantiam à medicato funere, tot tantisque infarcto aromatibus: verum spes me fefellit, solumque fuit obvia gummi graveolentia post denudatum cadaver. Quanquam verò non unius illuderat sortis & vetustati licet plurimum darem, attamen non nisi gummi vestigia;

gia; quin cunctas homogenei gummi glebularum in ventre recens dissecto observari. Sciscitor interim curiosius calvariam, eodemque gummi intus illitam deprehendo, tum verò me operam lusisse omnem liberè sum fassus, dum partes cadaveris singulas attentius examino, atque gummi imbibitas video. Fregi, discerpsi: osibus neque peperci, gummi ubique redolent atque sapiunt. Serius ego damnavi tandem propriam credulitatem longumque vale dixi Aegyptiis technis. Et ut ut dein subjiciat: Non negarim tamen, Regum cada vera Opobalsamo, stacte, a' oë, croco, cinnamomo, & consimilibus curata fuisse: addit tamen verum singularis & infrequens erat illa conditura. Nos verò & vulgares & frequentiores prosequimur. subjicit postmodum. Unica proinde erat conditura cujuscunque sortis mortalibus, dispendiosior divitiibus fraude libitinariorum.

Acceperunt ergo corpus Jesu & ligaverunt illud linteis. ) S. Johannes heic sola ὀψόνια nominavit. Ast reliqui Evangelistæ σινδὼνα appellant, memoratq; S. Marcus eintam Josepho sindonem, eaq; Jesum involutum. An igitur, fasciis ligatum corpus deinde & Sindone grandi involvebatur? Sanè Athanasius in homilia in S. Parasc. σινδὼνα, & ὀψόνια & σινδῶνον quasi diversa nominat. Variæ hoc loco reperiuntur sententiæ eruditorum. Alii, quos inter celeberrimus ævi nostri scriptor Salmasius, fascias & has tantum agnovit. Ast clarissimus Chifletius funeralem Servatoris amicum

etum expendens: Syndone primum byssina, inquit, ab ima cervice usque ad pedes, corpus integrum involutum est, & loris incisus circumligatum: Lazarum ita compositum depingit; ipsumque paulò post salutis nostræ Restauratorem. Equidem tam σινδὼνα, quàm ὀθόνια, κειρίας vocat, S. Johannes in historiâ Lazari c. 11. v. 44. de Scriptâ, & σινδάειον adhibita fuisse existimamus, quamvis enim S. Johannes tantum fasciarum, attamen reliqui Evangelistæ σινδὼν quoque mentionem fecerunt, testanturque Judaici scriptores corpora mortuorum ejusmodi linteis lectualibus iisque amplioribus involuta fuisse, consentiunt, qui corpora fasciis suis evoluti, summo studio dissectuerunt, Vid. Andr. Gryphium in *Mum. Vvraislavienf.* Conf. Athanas. Kircher. loco supra laudato Porro quod Sudarium ipsum attinet, testatur S. Johannes c. 20. v. 7. Redemptoris nostri sudarium in gloriosâ ejusdem resurrectione separatim in monumento positum fuisse, atque sudario, quod linteum parvi generis fuisse observat Scholiastes Aristophanis, non caput tantum sed totam faciem involutam fuisse, patet tum ex hoc loco Conf. cap. 19. v. 11. *Astor.* cum ex historia Lazari è monumento prodeuntis. Quæ cum ita sint, facile patet, quid de tot sudariis Redemptoris, cum tamen unicum tantum fuerit, diversis in locis extantibus pro quibus linteum latè patens omnes exhibent, non ponderantes solo sudario caput mortui involutum fuisse, sentiendum?

Et



Et in horto monumentum novum) Vid Kirchmann *lib. 2. de Funer Romanor. c. 25* ubi observat ditiores apud Hebræos habuisse propria monumenta in agris vel hortis suis, Vid *Gen 23. v. 16. & 20. v. 9. c. 50. v. 13. Ios. 24. 32. Matth 27. v. 7. Luc. 7. v. 12. Ioh. 11. v. 30. & 31. Matt. 27. 52. Drus l. 1. præterit. ad Matth. 27. v. 7.* idem Romanis placuit observante eodem Kirchmanno *d. l. idq;* duabus ex causis quarum altera divina cavebat, à pollutione sacrorum publicorum, quæ contaminatum iri existimabant, si intra Urbis mania mortui sepelirentur *Jul. Paul. lib. 11. Recept. sentent. tit. 21* hinc Flamini Diali non licebat locum, in quobustum erat ingredi, vel murtuum attingere, juxta Agellium *lib. 10. c. 15.* imo nec tibias funebres audire, juxta Festum & Servium *in 4. Aeneid* ex eodem ritu, si quando Pontifex funebrem haberet orationem, velum ante mortuum expansum legimus, quod oculos ipsius à funere arceret. Vid. *Senec. Consolat. ad Martiam c. 15. & Dionem lib. 54.* Altera causa civilis erat humationem in urbe fieri ideo prohibens, ne aër putresceret, Vid. *Isidor. lib. 14. Orig. c. 11.*

In quo nondum quisquam positus erat.) Salvatoris nostri sepulcrum ex veteribus descripsit Beda *in hom. quadragesimal. fer. 3. palmar. p. 214.* ex recentioribus infiniti. quos inter Christophorus Fuhrerus *in Itinerar. p. 189.* & Scriptores peregrinat. ad Terram sanctam peculiari volumine Francofurti ad Mœnum Anno 1609. editi, necnon Quaresmius & ipse *αὐτόμης, qui qui lib. 5. per. egr. 2.*

egr. 2. c. 8. & seqq. fol. 501. asserit in sepulcro Christi tria distincta fuisse loca in unicâ solidâ rupe excisa, quæ ibidem latius descripsit. Equidem quamvis quidam sepulcrum Christi, quod hodie peregrinantibus ostenditur, pro vero non agnoscant. attamen qui non sine horrore inspexerunt illud, cujuscunq; illi Religionis fuere, contrarium asserunt quos inter Salomon Schweigger *lib. 3. peregrinat. sue cap. 32.* cujus verba digna, ut heic legantur. Daß H. Grab/ inquit, bedunckt mich aber kein erdicht Heiligthum/ sondern in warheit/ das Grab Christi sein/ in ansehung/ das dasselbige ohn Schrecken und ohn Entsetzen von niemand/ es seien Christen oder Türcken/ mag gesehen werden / dann als ich es gesehen / gieng ich nicht derogestalt hinein / als htelte ich es für das Grab Christi / sondern wie alle andere Heiligthum mir verdächtigt wahren / als wenn es nur erdichtete Heiligthum wehren / oder Geltnege/ also auch dieses / als ich aber hinein kam in das Gewelb/ kam mich und auch die Herren aus der Gesellschaft ein solche Furcht und Schrecken an / daß uns alle Härlein gen berg stunden / und uns beduncket wir schwebten zwischen Himmel und Erden / ja als wehren wir von der Erden verzuckt/ es erwecket auch eine solche herzlichche Andacht und Eifer in uns/ gegen Christo zum Gebeth und Christlicher Dankfagung/ daß über alle massen ist. Haftenus Salomon Schweigger laudato loco.

F I N I S.










Je 1388

 X 2614025

VD17

m.c.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

ACOBI ANDREÆ  
CRUSII, J. C.

Et Reipubl. Mind. Syndici.  
DISQUISITIO THEOLOGICA.

DE  
AUDORE JESU  
CHRISTI FILII DEI,  
UNICI GENERIS HU.

NI REDEMPTORIS SANGUI-  
NEO, EJUSDEMQUE CAUSIS.

JECTÆ SUNT EJUSDEM AUTO-  
NOTÆ NOMICO-HISTORICÆ IN  
ROSANCTAM DOMINICAM PASSIONEM  
S. JOHANNE EVANGEL. CAP. XVIII.  
& XIX. DESCRIPTAM.



MINDÆ  
TYPIS JOHANNIS PILRRI.

